This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UNIVERSITEITSBIB
9000000
Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIB
9000000
Digitized by Google

L. 6076.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QVAESTIONIS

DE

CORNELII CELSI VITA

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAVGVRALIS HISTORICO-CRITICA

QVAM

IN VNIVERSITATE LITTERARVM LIPSIENSI

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO SVMMIS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONCESSV

IN AVDITORIO JVRIDICO

DIE XXVII. MENS. JANVARII A. MDCCCXXIV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

MAVRITIVS GVILIELMVS SCHILLING

PEGAVIENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE

LITTERIS HIRSCHFELDII.

Digitized by Google

Ἰητρος γαρ ἀνηρ πολλων ἀνταξιος ἀλλων.

HOMERI ILIAS.

Digitized by Google

mihi longe superioribus nonnunquam exstiti adversarius; non vereor, ne in suspicionem veniam arrogantiae atque temeritatis. Ego certe, quotiescunque dissensi, id me fecisse mihi conscius sum studio veritatis adductum ejusque vi convictum multo magis, quam vituperanda quadam ostentatione commotum atque dissentiendi libidine, quippe qua nihil scio, quod turpius sit magisque animum juvenilem dedeceat.

Restat, ut Deo Omnipotenti pia faciam vota, velit quam maxime providere valetudini TUAE vitaeque, quam nuperrime in summo periculo et discrimine versatam vidimus, carissimae scilicet sanctissimaeque et TUIS et omnibus bonis, atque senectutem TIBI largiri Nestoris eamque exoptatissimam: nominis enim TUI atque divinae humanitatis et virtutis laudem jamdiu commendatam audimus immortalitati. TU autem mihi illam et

Digitized by Google

in posterum conserves, precor, benevolentiae TUAE oblectationem et commendationem, atque credas, nihil unquam mihi cadere posse ea melius fortunatiusque. Vale.

Scribebam Dresdae VI. Idus Januarios
a. MDCCCXXIV.

Digitized by Google

VIRO

ILLVSTRI ET SPLENDIDISSIMO

D. FRID. LVD. KREYSIGO

EQVITI ORDINIS SAXONVM VIRTVTIS CIVICAE, POTENTISSIMI REGIS SAXONIAE CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO, ET PLVRIVM SOCIETATVM SODALI,

PRAECEPTORI SVO AC PATRONO

SVMMA OBSERVANTIA COLENDO

HVNC LIBELLVM

D. D. D.

AVCTOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

ILLUSTRI ET SPLENDIDISSIMO

FRID. LUD. KREYSIGO

S. P. D.

MAURIT. GUILIELM. SCHILLINGUS.

Quod de perfecta sapientia PLATO vere ac praeclare disputat, cui tantam scilicet tribuit pulchritudinem atque vim, ut, si oculis cerneretur, mirabiles in nobis excitaret sui amores: idem propemodum ad sapientes etiam, qui illius quasi simulacra sunt, pertinere mihi videtur homines. PLATONEM certe ipsum amabili SOCRATIS sui sapientia et virtute tam vehementer commotum fuisse audimus atque incensum, ut in utriusque contemplatione omne vitae studium collocare statueret. Sed ego quoque haud scio an non singulari, qua TE nobilitatum video, sapientiae TUAE atque virtutis dignitati incredibilem potius debeam sanctumque, quem TUI habeo, amorem, quam nominis claritudini ex ingenii luce atque ubertate studiorum in salutari arte ad universi humani generis salutem positorum TIBI profectae. Gloria enim admirationem quidem gignit; sed amor ille, quem dixi,

Digitized by Google

Platonicus tanquam umbra solum sapientiae ac virtutis lumen sequitur: nisi forte ex conjunctione ipsa omnium horum animi ornamentorum summus exoritur et vere divinus splendor is, quo dignum HIPPOCRATES jure censet medicum philosophum. Quam ob causam cum etiam nostrorum temporum divinis personis eadem fere fieri soleat, qua veteres usos esse scimus erga homines meritorum causa ordini deorum adnumeratos, religio; studiorum meorum primitias, qualescunque sunt, in lucem proferendas equidem non potui, quin TIBI, HEROI medicorum nostrae memoriae longe CLARISSIMO, dedicarem TUOQUE inscriberem nomini illustri.

Verumtamen multo etiam magis gratissimi animi sensus a me flagitavit, ut, quae scilicet jamdiu maxime esset exoptata, oblatam hanc arriperem occasionem, qua publicum aliquod singularis meae in TE pietatis statuerem documentum. TU enim

Digitized by Google

mihi non solum exemplum proposuisti divini illius, qualis esse debeat, medici Hippocratici, quod diligendo et imitando persequerer, dignissimum; sed praeceptorem etiam TE praebuisti benevolentissimum humanissimumque ducem in arte medica cum percipienda, tum exercenda, tantoque me ornavisti ex pluribus annis familiaritatis TUAE domusque usu, ut unus propemodum ex TUIS mihi esse viderer nactusque TE alterum tanquam parentem atque summo quidem opere colendum propter TUI, quo me amplexus es, favoris munus meaeque in TE pietatis officium. Quam quidem magnam TUAM immeritamque gratiam uti pulcherrimum aestimo juventutis meae ornamentum, cujus gratam persuasissimum TIBI habeas me nunquam depositurum esse memoriam; ita quod a TE potissimum profecto mihi contigit, ut accuratiori naturae rerum contemplatione atque subtiliori studio causarum mor-

Digitized by Google

borum eorumque curandorum cognitione exquisitiore imbuerer, id in summis habeo fortunae beneficiis. Etenim in ista, qua post hominum memoriam salutaris professio laboravit, rerum difficultate disciplinarumque multitudine atque confusione cum mihi accidisset, quod aliis quoque usu venire solet, ut vehementer perturbatum sentirem juvenilem meum animum atque de omni fere desperantem sua ipsius vi et virtute medicinae: ex quo scilicet tempore facultas mihi data est, qua de TUO lumine lumen aliquod mihi accenderem TUAQUE institutione usus faciem adspicerem verae atque Hippocraticae quidem illius medicinae, quippe qua nihil profecto ad simplicitatem et dignitatem pulchrius uberiusque esse potest ad humanitatem utilitatemque: magis magisque intellexi, artem medendi esse, id quod parens ejus ipse, HIPPOCRATES, jam gloriatus est, omnium nobilissimam dignissimamque, quam summo

Digitized by Google

amplecteremur amore atque studio. Quapropter si quid in me est, ex quo aliquando et res medica et societas ea egentium hominum aliquem capere possit fructum, id lubenter agnosco profiteorque publice, TIBI soli deberi.

Accipe igitur, VIR ILLUSTRIS, quod TIBI pio cum animo et non sine verecundia quadam offero, munusculum ea, qua uti soles, humanitate atque comitate. Quod sin minus subtilitate disserendi elegantiaque probetur; commendatum saltem TIBI habeas propter animi, quo oblatum est, gratissimi TIBIQUE deditissimi sensum. Neque vero res ipsa, quae in quaestionem vocata est, utique aliena mihi visa est a claritudine nominis TUI neque indigna, in qua a quotidianis negotiis iisque gravissimis aliquantum adquiescas. Etenim quanquam praevideo, fore, qui hoc disputandi genus leve existiment ac minutum, et qua aetate vir ali-

Digitized by Google

quis doctus vixerit quave ratione, parum interesse dicant se scire; TE tamen et unumquemque humanitati deditum ab istis dissentire atque alius esse judicii persuasum mihi est. Nam quod cognationis vinculum ex CICERONIS sententia omnibus commune est, quae ad humanitatem pertinent, artibus; eodem par est atque decorum cunctos quoque inter se contineri viros humanitatis studiis imbutos. Est autem CORNELIUS CELSUS haud indignus sane, quocum universa posteritas, de qua quidem optime meritus est, certam aliquam ineat sortis communionem. Quem ut ego quoque ex aliquo tempore maximis habui in deliciis, ita summopere mihi cordi fuit, ut, quantum valerem, ad vitam ejus adferrem, quam multum adhuc in dubio atque occulto latuisse scis, illustrandam. Quodsi viris quibusdam, qui jam ante in hoc quaestionis genere versati sunt, ingenii acumine copiaque scientiae

Digitized by Google

Ut omnium fere doctrinarum artiumque antiquitas statuit monumenta, quae splendidissima sunt humanitatis ornamenta atque exempla perfectionis quam maximae absolutionisque admiratione et imitatione universae posteritatis dignissima; ita medicinae quoque duo potissimum proposuit lumina, quae omnibus aetatibus adhuc praelucerent. Quorum alterum exstitit inter Graecos, alterum vero inter Romanos. HIPPOCRATES autem COUS quanquam non aetate solum, verum etiam ingenii acumine ac ubertate experientiae longe superior est CORNELIO CELSO; hic tamen, ad diligentiae assiduitatem, judicii subtilitatem, orationis gravitatem et magnitudinem meritorum quod attinet, haud scio an non par illi jure sit existimandus. Est enim CELSUS, qui, quidquid de rebus medicis antea erat inventum, cogitatum, experientiae usu adprobatum et memoriae relictum, id non solum accuratissime collegit judicioque distinxit et illustravit, sed redegit etiam primus ad certum quendam rerum ordinem ac elegantissime conscripsit. Itaque venit, ut volumina ejus de medicina composita clarissimis, quae antiquitatis exstant, gravissimisque reliquiis a viris doctis omnis memoriae adnumerarentur. Minus tamen eosdem consentire audimus de pretio, quod huic studiorum antiquitatis generi tribuendum

Digitized by Google

sit, disputantes. Quod si qui exstiterunt, qui ita statuerent, ut commoda inde speranda ad historiae cultores maxime referrent; alii sunt, qui HIPPOCRATIS CELSIque scripta etiam propter dignitatem orationis elegantiamque, et splendorem quendam sententiarum, qui in iis dominatur, et medicis nostrae aetatis et omnibus etiam humanitati deditis commendent. Atqui minima ea est pars virorum eruditorum, qui ipsius medendi artis discendae augendaeque causa veterum medicorum opera a medicis recentioribus tractanda esse profitentur. Persuadent enim sibi plurimi, ob longius temporis intervallum et majorem, quae nostrae medicinae cum antiqua intercedat, discrepantiam nostra parum interesse praecepta medica ab illis proposita, eorumque ullum jam fieri posse negant aptum frugiferumque usum. Atque his quidem adnumerandus est etiam ERNESTUS PLATNERUS, praeceptor meus maxime venerabilis et subtilissimus quidem nostrorum temporum philosophus, sed medicus parum expertus.

Ego autem justam esse et meritissimam censeo laudem illam HIPPOCRATI et CELSO tributam, quatenus monumenta statuerint vetustatis nuntia et gravissima ac utilissima studio medicinae historico. Cui qui homines dediti sunt, licet iis etiam reliquorum veterum medicorum, quaecunque eorum exstant, scripta neque plane omittenda sunt, neque negligenda, cum unoquoque eorum opere, sive levissimo ac minutissimo, lucis aliquid afferri queat utilitatisque, et membrum certe quoddam expleatur

Digitized by Google

universitatis historiae rerumque seriei; HIPPOCRATES tamen et CELSUS, uti praestantia institutionum et auctoritatis fide caeteris antecedunt, ita dignissimi judicandi sunt, in quibus summum ponatur studium. Neque enim uterque eorum suas modo sententias experientiasque explicuit; sed, quidquid a majoribus memoriae relictum erat, ad communes utilitates attulit. Neque ab iis dissentio, qui quidem orationis medicae accuratius cognoscendae atque excolendae causa HIPPOCRATIS CELSIque opera, quibus incumbamus, commendant. Nam quemadmodum et Graeca et Latina oratio omnino excultissima est et ad tantam adducta, quantam haud scio an quis recentiorum sermonum adhuc consequutus sit, perfectionem; sic illorum quoque praestantissimorum medicorum scripta excellunt singulari quadam vi atque dicendi arte rebus ipsis, quae praecipiuntur, aptissima. Itaque, quicunque indoli illarum orationum, quae omnium principes sunt ac reginae, animum subtilius imbuere vult et certum aliquem in se excitare atque alere humanitatis sensum, ad illud accedere non desinat medicorum par nobile. Atvero ad exercitationem etiam ipsam artis salutaris rerumque medicarum usum quod spectat, illas antiquae medicinae reliquias idoneas esse, unde uberrimos capiamus utilitatis fructus, equidem contendo profiteorque. Neque vocum tantummodo rationem habeo sententiarumque medicarum, quarum magna quidem pars una cum professione salutari ipsa antiquitati debet originem: unde fit, ut, quo majorem operam locemus in inquisitione me-

Digitized by Google

dicinae fontium, eo facilior nobis exoriatur clariorque primordiorum rei medicae scientia; quippe qua nihil esse potest ad utilitatem gravius, ad liberalitatem decentius jucundiusque ad animi oblectationem cujusque veri artificis. Verum ad ipsos quoque morbos melius cognoscendos ac tutius curandos illis antiquitatis monumentis non parvum afferri adjumentum hominibus etiam recentioris medicinae peritissimis, persuasissimum mihi est. Etenim, quo singulari simplicitatis et veritatis amore studioque plurimi veterum scriptorum excellunt; unde factum est, ut in omni fere artium litterarumque genere vera praestarent sapientiae ac virtutis monumenta: eodem etiam inprimis HIPPOCRATEM et CELSUM in rebus medicis cum faciendis, tum conscribendis ductos esse, quis est, qui neget? Medicinam autem ipsam, quamvis ea progredientibus seculis progressa sit formamque multum mutaverit, tamen, quod ad naturam ejus ingeniumque pertinet, ad haec nostra usque tempora sibi adhuc constare eandemque esse, quae olim fuerit, omni dubio superius est. Ergo concedamus, quod aliquis mihi objicere posset, illorum veterum medicorum instituta ac praecepta, quorumcunque usus aliquis aptus frugiferque sperandus esset, jam translata esse ad nostram medicinam atque ita quidem ei immixta, ut iis nos etiam inscii quotidie uteremur; aliud tamen esse, equidem respondeo, fontes ipsos inspicere et examinare, quam interpretum arbitrio judicioque se caecum tradere ac confidere. Atque multa reapse in illis reperiri, quae ab his vel omissa sint, vel

Digitized by Google

deformata et falsae interpretationi submissa, accuratiore inquisitione et collatione docemur. Sed quam uberrimos rerum utilissimarum et gravissimarum thesauros HIPPOCRATES et CELSUS memoriae reliquerint, quam proxime accesserint ad veritatis lucem et qua denique usi sint dicendi vi et elegantia, ecquis est, qui plane ignoret? His omnibus accedit, quod maxime considerare ac perpendere debemus, commodum illud, quod nobis ad ingenium potissimum scriptorum spectantibus sperandum est. Namque ad mercatoris quaestui servientis modum artium, quae ad humanitatem pertinent, aestimare pretium fructusque operae in iis positae metiri, minutum est ac illiberale, dedecetque homines humanitatis studiosos. Fuit autem COUS non solum omnis medicinae, sed verae etiam atque illius quidem conditor, quam adhuc adpellamus ad parentis honores HIPPOCRATICAM. Atque consistit haec maxime in intima philosophiae cum medicina conjunctione. Nam scientiae medicae et humanae mentis natura bene intellecta hanc, quam ipse inierat, viam esse judicavit solam, qua medicina ad veritatem quam celerrime et tutissime adduci posset. *Ars est longa*, conqueritur senex venerabilis, *et vita brevis, occasio elabitur, experientia est fallax et judicium difficile. Philosophum* igitur *medicum divini* viri laude celebrat, suam ipsius statuens divinitatem. Neque eam tamen, quam scholasticam dicimus, philosophiam intellexit; quam vel separaverat etiam a medicina tanquam artem aliquam huic pernicio-

Digitized by Google

sam: sed illam communem conjungendam esse professus est, quae, meo judicio, nihil aliud est, quam ratio humana ad perfectionem quam maximam excolendo perducta. Unde rationalis concrescit medicina ea, quae experientiae quidem tanquam matri originem debet et lac, sed educationem cultumque rationis tanquam magistrae luci. Atque hunc scilicet medicinae rationalis parentem maxime sequutus est CORNELIUS CELSUS, quem viri eruditi propterea non dubitarunt nomine salutare HIPPOCRATIS LATINI.

Sed omnes quoque, qui post hunc vere magni exstiterunt medici et nostris etiam temporibus medendi facultate florent, non maxima observantia solum hunc utrumque HIPPOCRATEM, et COUM et LATINUM, amplexi sunt, verum etiam ardenti quodam amore ac singulari studio, et cum in cognoscenda arte salutari, tum in exercenda ea sequuti sunt ducem atque magistrum. Adhuc enim nobis in manibus est, ut unum afferam ex sexcentis idque splendidissimum exemplum, BOERHAAVII MAGNI *oratio de commendando studio Hippocratico*, atque in memoria Hippocratica ejusdem medendi ratio. CELSI autem libros de medicina concinnatos non solum latinitatis medicae, verum medicinae etiam ipsius causa legendos esse, consentientes habemus LAUR. HEISTERUM, JO. BAPTIST. MORGAGNIUM, PHIL. GABR. HENSLERUM aliosque multos, quos enumerare longius esset. BERENDSIUS vero, Senex nostrae memoriae medicorum Celeber-

Digitized by Google

rimus ac Illustre Berolinensis litterarum universitatis Ornamentum, et KUEHNIUS, Doctissimus veterum medicorum admirator et cultor, atque clarissimum Lipsiae decus, quanti eorum uterque CELSUM hoc tempore aestimet, documento est, quod ille eum quotannis coram auditoribus suis summa cum laude profitetur, hic vero se quotidie maxima cum voluptate et utilitate eum legere publice agnoscit.

Quae cum ita sint, quod PLATO, teste QUINTILIANO, cum SOPHRONIS libris fecit, quippe quos capiti suppositos habuit moriens; idem cuique medico faciundum esse censeo cum praeclaris CELSI scriptis. Neque vero morientium solum medicorum capiti ea supponenda esse judico, sed vel cunabulis etiam jam natorum ad salutarem artem adspirantium, ut, quae iis insit, sapientia et virtus jamjam cum lacte materno sugatur atque in succum et sanguinem vertatur. Atque magnas sane grates propterea debemus arti criticae, cui quidem antiquitatis monumenta, studio universae posteritatis dignissima, ad integritatem ut plurimum restituere propositum est. Etenim, quae tristissima sors omnibus his reliquiis cecidit, ut injuria temporis, et librariorum ac monachorum inertia, stultitia et avaritia corruptissima traderentur posteritati; eandem inprimis etiam CELSUS noster communicavit. Sed magnum adjumentum huic jam allatum est criticorum opera; atque recentioribus praesertim temporibus KRAUSII et TARGAE ingenio manuque multum profectum est in vocibus sententiisque cum emen-

Digitized by Google

dandis, tum interpretandis. Qui quidem locus quamvis late adhuc pateat, in quo docti viri vires exerceant; tamen res ad veterem medicinam ipsam spectantes sunt potissimum, quae expositione egent copiosiori et subtiliori commentatione. Cui quidem desiderio, quod etiam KUEHNIUS nuperrime eloquutus est, invitans simul viros medicos ad hujus studii munus suscipiendum, si satisfactum esset, multo faciliora ad intelligendum reddita essent CELSI scripta atque ad communem frugiferumque usum aptiora. Itaque LUD. CHOULANTUS, Vir Eruditissimus mihique Amicissimus, *Prodromo* ad CELSI studia praemisso, qui desiderium illud expleret, accinctus jam progressus est.

Sed cum etiam mihi propositum sit, proximorum certe annorum studia in CELSI libris maxime collocare, non alienum esse visum est, prius, quam hos ipsos, quaestionem adire de auctoris vita, quae adhuc magnopere versatur in tenebris. Par enim est ac decorum, accuratius cognoscere hunc virum ejusque quasi imaginem adspicere, cujus opera in deliciis nobis sunt et cum utilitatem, tum singularem quandam praebent animi oblectationem. Est autem non aetas solum CORNELII CELSI, qua quidem vixerit suasque artes medicas composuerit, quae in dubio latet et occulto; sed de patria etiam, unde ortus sit, et praenomine, quod habuerit, et arte, qualem professus sit, quaeritur. Quae materia cum a pluribus viris doctis jam ante in quaestionem vocata sit, nequaquam tamen utique dijudicata est, sed in controversia etiam relicta

Digitized by Google

Neque abhorret hoc disserendi genus a munere officioque medicinam facientis, siquidem examinando, conjiciendo ac judicando vitam viri alicujus excelsi, quae in discrimine et periculo versatur, veritatis luci reddere studemus. Est enim ex CELSI ipsius sensu medicina *ars conjecturalis*, eoque ipso, quod idem auctor de accuratiori naturae rerum contemplatione studioque causarum morborum subtiliori profert, meam causam agere videtur contra eos, qui forte, quod inutile quidquam susceperim, me accusent. *Quanquam multa sint*, ait, *ad ipsas artes proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant excitando artificis ingenium.*

Sed antequam ad quaestionem hanc ipsam de CELSI vita aggrederer, convenire visum est, fontes adpellare, qui hac in re versanti mihi patuerint. Duplicis autem ii sunt generis, et pertinent vel ad CELSI ipsius, cujus de vita disputatur, vel ad aliorum veterum auctorum scripta, in quibus CELSI memoria exstat. Tanta autem hujus fuit modestia, ornamentum scilicet illud omnibus fere magnis viris proprium, ut, quamvis permultorum aliorum auctorum nomina laudasset, et sententias, et res etiam gestas, tamen neque se ipsum nec aliud quid ad ipsius vitam attinens accuratius copiosiusque commemoraverit. Sed apud alios quoque veteres scriptores, qui CELSI meminerunt, nihil nisi nomen ejus vel judicium de eo propositum aliave quaedam signa ad summum reperiuntur, unde conjicere quidem probabile, neque certi tamen quid de nostro CELSO cognoscere licet. Atque in iis etiam locis,

Digitized by Google

ubi mentio ejus facta est, non semper perspicitur, utrum hic noster CELSUS, artium scilicet medicarum auctor, aliusne sit intelligendus. Quae cum ita sint, nos in tanta rei latebra ac dubitatione non nisi conjecturarum ope ad veritatem propius accedere posse, si unquam liceat, apparet. Atque ex ea quidem causa rara ista sententiarum de hoc loco a viris eruditis recentiorum temporum in medium allatarum discrepantia oborta est.

Ex veteribus autem, qui CELSI, et, si recte conjecimus, nostri quidem meminerunt, enumerandi sunt HORATIUS, OVIDIUS, COLUMELLA, SCRIBONIUS LARGUS, PLINIUS major et QUINTILIANUS. Qui vero CELSI praeterea occurrunt, ii, cum satis aperte nihil commune habeant cum nostro, vix digni mihi visi sunt, qui sigillatim commemorarentur. Ita enim CELSUS quidam reperitur, Epicureus iste auctorque *discursus* contra Christianos conscripti, cui ORIGENES exstitit adversarius, et LUCIANUS *Pseudomantem* suum inscripsit. Quem, quamvis luce clarius sit, secundo et tertio vixisse seculo, tamen cum nostro CORNELIO CELSO male confusum esse videmus a JO. JACOBO A RYSSEL in *continuatione* GERARD. JO. VOSSII *de Philosophorum sectis* p. 158. Alius est CORNELIUS CELSUS Imperator, de quo TREBELLIUS POLLIO, historiae Augustae scriptor; alius JULIUS CELSUS, quem nonnulli viri docti auctorem habent *commentariorum*, qui *de* JUBII CAESARIS *vita* supersunt et FRANCISCO PETRARCHAE ab aliis majori jure tribuuntur; alius JUVENTIUS CELSUS, Jurisconsul-

Digitized by Google

tus Pegasianae sectae addictus; alius denique Aeruntius Celsus, Grammaticus. Ut reliquos omittam, quos qui cognoscere velit, videat not. 1. ad Tom. II. l. II. c. 4. p. 36. Jo. Alb. Fabricii *Bibliothecae Latinae*, ab Jo. Aug. Ernesti, Lipsiae, anno 1773. editae.

Verum multo etiam major numerus est recentiorum virorum doctorum, qui cum in libris Celsi de medicina ipsis, tum in his quaestionibus ad vitam ejusdem pertinentibus versati sunt sententiasque valde diversas proposuerunt. Itaque quidam ex iis exstiterunt, qui Cornelium Celsum Augusto Imperatore vixisse suasque artes medicas scripsisse dicerent; a quibus alii dissentiunt, contendentes, natum quidem esse Celsum Augusti aetate, sed non prius quam argenteo seculo composuisse libros medicos. Alteri autem Tiberio vivente eum vivere faciunt, alteri Caligula. At sunt quoque, qui aetatem ejus ad Neronis tempora et Trajani etiam proferant. Neque minus discrepant critici de praenomine Cornelii Celsi, de patria ejus ac professione. Hi enim ex iis Aurelii praenomine ornant Cornelium, Auli vero illi. Nonnulli eum Romanum, Veronensem salutant alii; sed plurimi patriam in medio utique relinquunt: quamvis omnes fere de eo congruant, quod plurimam vitae partem Celsus Romae degerit. Ad professionem autem ejus quod attinet, reperiuntur, qui Celsum medicinae scientia unquam instructum fuisse omnino negent opusque, quod de medicina ab eo compositum exstat, con-

Digitized by Google

versionem esse ex Graeco aliquo auctore sibi persuadeant. Alii vero ei largiuntur, ut imbutus quidem fuerit studiis medicis, sed modo, quatenus ea partem effecerint philosophiae. Namque ad aliorum, praesertim Graecorum, philosophorum exemplum CELSUM quoque philosophum studuisse ponunt arti medendi tanquam gravissimae omnium, utilissimae ac nobilissimae, nec eam tamen unquam exercuisse. Atqui his contrarii non solum cognovisse eum contendunt, sed fecisse etiam medicinam; iique ipsi in duas discedunt partes: aliis nempe judicantibus, eum fuisse medendi artificem non nisi artis amore et studio adductum, aliis vero non dubitantibus, etiam quaestui eum serviisse atque lucri causa artem salutarem maxime esse professum.

Sed tamen in tanta rei obscuritate atque dubitatione, et sententiarum multitudine ac varietate quam difficile sit, certi aliquid explorare idque argumentis probare, facile intelligitur. Quo accedit, ut, quicunque viri hac in quaestione versati sint, quamvis diversi de re ipsa discesserint, tamen omnes fere in eo convenerint, quod rationes proferrent, in quibus niterentur. Quas quidem opiniones earumque auctores, cum major sit numerus, jam longius esset singulatim enumerare; sed proposito nostro convenire visum est, eos praecipue proferre, quibus plurima est dicendi copia auctoritasque judicii. Itaque primus, qui commemoretur, dignus occurrit JO. RHODIUS, vir immensa doctrina instructus, a quo conscriptam habemus CELSI vitam,

Digitized by Google

quae iteratae editioni *dissertationis* ejus *de aetia ad Celsi mentem*, Hafniae, anno 1672. 4. et Lundini Scanorum, anno 1691. 4. a THOMA BARTHOLINO adnexa atque exinde aliis etiam CELSI librorum de medicina editionibus, ut Almeloveenianis omnibus, Krausianae, Lipsiae, anno 1766. 8. et Bipontinae primae, anno 1786. 8. praemissa legitur. Quae quidem RHODII quaestio etsi non minus, quam caetera ejus opera, insigni splendet et incredibili fere eruditione; squalet tamen multis etiam erroribus et vituperanda quadam judicii inconstantia, quam jure castigavit JO. BAPTIST. MORGAGNIUS, vir super aethera notus, in prima *Epistolarum* suarum *in Aur. Cornelium Celsum ad Jo. Baptist. Vulpium* missarum. Quae quidem epistolae, quarum in prima et quarta CELSI vita sententiaeque criticorum de ea propositae attinguntur, integrae reperiuntur in MORGAGNII *Opusculis miscellaneis*, Venetiis, anno 1763. fol. part. 1. item in editione CELSI Argentorati, anno 1806. 8. Vol. II. et aliis ejusdem auctoris editionibus. Praecipue autem huc omnia pertinent, quibus medicinae et medicorum historia ad argumentum subjecta est, scripta; quorum plurima certe CELSUM nostrum ejusque vitam magis minusve attingunt. Sed caeteris copiosius subtiliusque disseruerunt de hac re DANIEL. CLERICUS in opere suo historiae medicinae, inscripto: *Histoire de la Médecine, par* DANIEL LE CLERC, *Docteur en Médecine, à la Haye*, anno 1729. 4. Part. II. l. IV. sect. 2. c. 4. p. 517 sqq. et HENR. SCHULZIUS in libro suo, cui titulus: D. Jo. HENRICI SCHULZE, *Medicinae*,

Digitized by Google

Eloquentiae et Antiquitatum Professoris, Compendium Historiae Medicinae etc. Halae Magdeburgicae, anno 1742. 8. l. II. c. 13. sect. 591. p. 298 sqq. Quibus illustribus viris minus copiose et omni fere proprio judicio suspenso controversiae causam hanc enarravit SPRENGELIUS, Vir per omnem Europam Celeberrimus, in praeclaro suo opere, quod inscribitur: *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde, von* KURT SPRENGEL. *Halle*, Part. II. anno 1793. 8. sect. 5. §. 4. p. 9 sqq. Accuratius vero in hanc rem inquisivit Jo. ALB. FABRICIUS in *Bibliöth. Lat.* ex edit. ERNESTI, Tom. II. l. II. c. 4. p. 36 sqq. *de A. Cornelio Celso* Est autem Jo. LUD. BIANCONIUS, vir seculi praeterlapsi doctissimus, Archiater in aula Dresdensi et postea Potentissimi Electoris Saxonici ad summum Pontificem Legatus, qui omnium copiosissime, subtilissime ac elegantissime disputavit de CELSI vita in *Epistolis* duodecim sat prolixis solutisque, quas otians et in agro Perusino Romae vicino rusticans autumnalibus feriis in delicio nobilissimae Ansideiae gentis ad amicissimum Hieronymum TIRABOSCHIUM, Italicae litterariae historiae conditorem, Italice conscripsit et hoc adornavit titulo: *Lettere sopra A. Cornelio Celso al celebre abate Girolamo Tiraboschi.* Romae 1779. 8. Quarum epistolarum conversio exstat ex Italico in Germanicum sermonem a clarissimo D. CAR. CHRIST. KRAUSIO edita et litteris ab eodem ad BIANCONIUM conscriptis aucta, Lipsiae, anno 1781. 8. *Epitome* vero earundem epistolarum *Latina* a BIANCONIO ipso paucis annis post confecta,

Digitized by Google

et ad SAMUELEM et JOANNEM, fratres LUCHTMANNOS, diligentissimos in Lyceo Lugduni Batavorum typographos missa, Prolegomenis editionis CELSI, Batavicis typis anno 1785. excussae, et aliis post editis CELSI codicibus adserta reperitur. Atque hunc quidem virum, qui non solum accuratissime collegit eos, quicunque exstant in veterum scriptorum monumentis, locos ad vitam CELSI nostri spectantes, verum etiam iisdem ita usus est, ut novas aliquas inde conjiceret sententias ingeniosasque, et quam firmissime eas argumentis stabilire studeret, hunc BIANCONIUM, inquam, equidem in hac mea quaestiuncula maxime sequi statui. Nec eo tamen consilio, ut, quidquid ille in medium jam attulerit, ego repeterem, vel interpres ejusdem exsisterem; sed, ut denuo examinarem sententias ejus et argumentationes: easque in judicium revocarem severum quidem, sed justum quoque. Etenim vir ille licet ingenio et eruditione se ornatissimum praestitit, nonnunquam tamen etiam novitatis, contentionis et ostentationis cujusdam cupidior, quam veritatis mihi visus est. Itaque, quamvis in universum praeclare disputaverit, aliquot tamen in locis non dubitavit, quin falsa aliqua disserendi subtilitate artibusque sophistarum uteretur non utique honestis istis et laudabilibus, quibus rem suam ageret. Atque revera consequutus est ingenii doctrinaeque lumine et singulari quadam orationis elegantia magis, quam rei veritate, communem fere et aequalium et posterorum, quam quidem summa ambitione petierat, admirationem atque adprobationem. Itaque con-

Digitized by Google

victum eique de plurimis certe locis consentientem videmus inter alios ipsum KRAUSIUM, doctissimum et acutissimum criticum, in illa, quam commemoravimus, epistola, quae operis Bianconiani conversioni ex Italico in Germanicum praemissa legitur. Atque idem fere nuperrime accidit medico Ticinensi DEL CHIAPPA in libello inscripto: *Intorno alle opere e alla condizione personale di Aulo Cornelio Celso. Discorsi medici-filologici di Giuseppe Antonio* DEL CHIAPPA, *medico in Pavia.* Milano, 1819. 12. Quorum discursuum auctor, plenissimus amore erga CELSUM ejusque studio multum imbutus, cum maxime sibi proposuisse videatur, argumentis probare, CELSUM revera fuisse medicinae artificem; ejusdem tamen reliquam vitam silentio non plane praeteriit, sed paullo accuratius etiam attigit in discursu X. XI et XII. Sed in hac gravissima controversiae parte maxime etiam BIANCONIUM sequutus est. Atqui LEONARDUS TARGA, doctissimus subtilissimusque Italiae criticus et dignissimus profecto CELSI BIANCONIIque popularis, quamvis huicce de nonnullis, quae vel recte vel probabiliter saltem de illius vita disputaverit, justam meritamque tribuerit laudem, non caecus tamen ei assensit, sed plura etiam opposuit eaque gravissimi momenti argumenta, in *praefatione ad* suam *editionem A. Cornelii Celsi librorum de medicina alteram accuratiorem,* Veronae, anno 1810. 4.

Sed equidem, uti diversas sententias ab iis viris doctis propositas, quos in quaestione de CELSI vita versatos esse commemoravi, sic TARGAE quoque

Digitized by Google

argumenta BIANCONIO objecta quam diligentissime examinavi et momentis eorum collatis perpensisque meum adjeci, qualecunque est, judicium; ita tamen, ut BIANCONII, copiosissimi illius atque subtilissimi de hac re disputatoris, maximam semper haberem rationem. Quapropter eundem etiam, quem hic observavit, equidem omnino sequutus sum rerum ordinem. Caeterum autem ad ea, quae vero proxima mihi visa sunt, idem fere pertinet, quod CELSUS ipse de suis judiciis alicubi eloquutus est. *Ea*, inquit, *neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimium abhorrentia, sed media quodammodo inter diversas sententias. Quod in plurimis contentionibus deprehendere licet, sine ambitione verum scrutantibus.*

Tripartita vero erit haec nostra dissertatio. Primum enim disputabimus de aetate potissimum, qua CORNELIUS CELSUS vixerit suasque artes medicas scripserit; tum de praenomine, quo usus sit, et tertio de ejus professione. Sed tamen hae dissertationis partes cum ita innexae sibique invicem implicitae essent, ut vix aut ne vix quidem accurate dividi et stricte sejungi possent; accidit, ut in earum priore maxime quidem proposita esset, in qua versaremur, haec quaestio de CELSI aetate, nequaquam tamen plane confecta et ad finem perducta. Sed in secunda etiam et tertia dissertationis parte plura occurrent ad hanc materiam spectantia eaque gravissimi momenti. Atque idem fere deprehendetur in ea parte, quae in considerando CELSI praenomine vertitur. Namque praeter id

Digitized by Google

ipsum et rationes quasdam, quae ad aetatis quaestionem pertinent, patriam etiam et reliqua a CELSO quidem composita, sed nobis deperdita scripta ibi attingemus. Neque tertia denique pars, cui CELSI professio ad argumentum subjecta est, ita ut inquireretur, an medicinam, de qua volumina concinnaverit, ipse quoque didicerit atque fecerit, nec ne, in hac materia subsistet, verum nonnulla etiam argumenta complectetur reliquis quaestionibus utilia. Quibus duae commentationes de rebus ad exercitationem artis salutaris ipsam propius spectantibus adjectae sunt, quippe quibus ante obiter tantum commemoratis hic dissertationis locus accommodatior esse videretur. Quarum altera usum tractat, quem medicina apud veteres habuerit contraria dicta; altera vero coli morbum, quem TIBERII CAESARIS principatu primum irrepsisse PLINIUS refert.

Digitized by Google

PARS I.

His igitur de studio HIPPOCRATIS et CELSI, principum illorum antiquitatis medicorum, praemissis expositoque nostro consilio, quod potissimum sequi statuimus de CORNELII CELSI vita disserentes, ad priorem dissertationis partem jam accedamus et inquiramus, quo aevo CELSUM vixisse et quo vitae tempore libros de medicina conscripsisse vero proximum sit. Tripartito autem dividi possunt sententiae de hac re a viris eruditis recentiorum temporum allatae. Quidam enim ex iis TIBERIO Imperatore CELSUM nostrum primam lucem vitae adspexisse eamque ad TRAJANI usque imperium perduxisse putarunt. Iidemque CELSUM ex ordine scriptorum aureae aetatis utique removentes, unam efficiunt partem. At vero hi multo longius, quam fas est, eum proferunt et centum fere annis recentiorem faciunt, quam nostro judicio fuit. Qui cum idoneis careant probabilibusve saltem rationibus, quibus hanc suam opinionem adjuvent; vix etiam ac ne vix quidem jus disputandi de hac materia habere, neque ampliori egere videntur refutatione. COLUMELLA enim in pluribus locis librorum suorum de re rustica CORNELIUM CELSUM *suae aetatis* laudat *auctorem*. Cujus videat, cui placet, l. I. c. 1. §. 14. p. 394. ex editione *Scriptorum Rei Rusticae*

Digitized by Google

Veterum Latinorum a Jo. Matthia Gesnero, Lipsiae, anno 1735. curata, porro l. III. c. 17. §. 4. p. 489. et l. IV. c. 8. §. 1. p. 502. Sed L. Junium Moderatum Columellam floruisse Claudii Imperatoris tempore, circiter annum DCCC. p. U. c. neque prius, quam anno U. DCCCLII., Trajanum adeptum esse imperium scimus. Sed Plinii etiam testimonium contrarium est illorum virorum opinioni. Deprehenditur enim Celsus inter eos auctores, quorum scriptis Plinius, unde naturalem suam historiam hauriret, usus est. Plinium autem constat eodem anno, quo Titus imperium susceperit, scilicet DCCCXXXIII. p. U. c. vitam posuisse, postquam huic Imperatori ipsi suum praeclarum opus *de Naturae Historia* dedicasset. Unde consequitur, ut Celsi, auctoris a Plinio citati, scripta minimum viginti annis ante Trajanum Imperatorem exstiterint.

Altera vero pars eos complectitur viros criticos, qui natum quidem esse Celsum nostrum Augusto florente, utpote aurea aetate, verum eum attigisse etiam aevum argenteum atque ad Tiberium, Caligulam, Claudium vel Neronem etiam Imperatores pertinuisse contendunt. Qui ipsi iterum in duas quasi discedunt partes. Namque alteri eorum genitum esse Celsum sub exeunte Augusti imperio et sub sequentibus iis, quos diximus, Caesaribus scripsisse opinantur. Alteri vero natum Celsi in principio Augusteae aetatis, et in fine ejusdem vel exordio ad summum argentei seculi compositionem artium medicarum ponunt. At illo-

Digitized by Google

rum quoque sententiae obstat auctoritas C. PLINII SECUNDI, quippe qui in *Naturalis Historiae* Tom. I. l. XIV. c. 2. sect. 4. p. 710. ex edit. Jo. HARDUINI, Parisiis, anno 1723. commemorat, *Cornelium Celsum transscriptum esse a Graecino. Julium* vero *Graecinum*, qui COLUMELLA teste *duo volumina praeceptorum de vineis* composuit, *a Cajo Caesare* (Caligula) *occisum esse* docet L. ANNAEUS SENECA *de Beneficiis*, l. II. c. 21. p. 638. edit. Amstelodami, anno 1673. Ergo cum CALIGULAE Imperatori ipsi anno U. DCCXCIV. eadem fere mortis sors acciderit, quae GRAECINO fuerat; necessario sequitur, ut ante hunc Imperatoris occisi annum GRAECINUS ab Imperatore occisus interierit. Quae cum ita sint, apparet, CELSUM non potuisse attingere CLAUDIUM et NERONEM, Imperatores illos CALIGULA posteriores. Neque sub CALIGULA ipso CELSUM adhuc vixisse verosimile est, cum a GRAECINO tum temporis exstineto transscriptus sit. Proxime igitur ii ad veritatem accessisse videntur, qui CELSUM sub AUGUSTO et ad summum sub TIBERIO Imperatore vivere et scribere faciunt. Atque revera splendent in hac criticorum classe clarissima nomina CLERICI, SCHULZII, MORGAGNII, FABRICII et TARGAE, qui has suas sententias in scriptis jam laudatis deposuerunt. RHODIUS vero, enarratis aliorum criticorum opinionibus, suum ipsius judicium in suspenso reliquit; neque SPRENGELIUS CELSI aetatem accuratius persequutus est.

BIANCONIUS autem his viris splendidissimis, quibus profecto et ingenii et eruditionis auctoritate non

Digitized by Google

inferior judicandus est, adsensit quidem id, quod ad vitae tempus omnino attinet; de aetate vero, qua CELSUS medicas suas artes composuerit, diversam proposuit sententiam eamque novam. Incidisse enim contendit hanc librorum de medicina concinnationem, quam illi in exitu Augusteae vel in initio argenteae aetatis posuerunt, in primos ipsos AUGUSTI Imperatoris annos. Ad florentissimum ergo aurei seculi apicem refert BIANCONIUS CORNELIUM CELSUM, librorum scilicet, qui de medicina compositi exstant, auctorem, eumque non aequalem solum, sed amicum etiam salutat ingenii virtute et aemulatione quadam studiorum VIRGILIO, HORATIO, OVIDIO aliisque hujus ordinis scriptoribus conjunctissimum nec indignum profecto his clarissimis Augustae Romae luminibus. Aurea sententia et augusta, quae lucis suae splendore unicuique certe antiquitatis cultori dulcissime arridet! Cujus excogitatio gloriosa quidem est auctori, nec utique defensio. Nam eo ipso pulchritudinis et magnificentiae acumine magis, quam fas est, corruptus esse videtur ille ejus genitor, ita, ut non raro ad injustitiam quandam erga alios veteres scriptores artiumque sophisticarum usum in hac quaestionis parte adduceretur. Sed idem BIANCONIUS est, qui, vir sui judicii, una cum adseclis suis tertiam construit virorum doctorum de CELSI aetate disputantium partem.

Meam autem sententiam quod attinet, ut summam ejus breviter praemittam, ego consentio quidem BIANCONIO de tempore, quo CORNELIUM CEL-

Digitized by Google

sum in universum vixisse et floruisse dixit; eaque, quae de hoc loco ingeniosus ille vir vel nova invenit et attulit, vel inventa jam ab aliis et allata denuo judicavit et illustravit, maximam ad partem summopere mihi probata sunt. Ergo mihi quoque Celsus circa initium seculi octavi p. U. c. primam lucem intuitum esse vitamque perduxisse videtur usque ad exitum fere Augusteae aetatis. Itaque eum Augusto aureae aetatis principe paulo prius exstinctum esse simulque Virgilio, Horatio, Ovidio et aliis hujusce splendoris luminibus aequalem amicumque fuisse, una cum Bianconio mihi persuadeo. Atque haec scilicet Bianconianae dissertationis pars splendidissima est, qua quidem auctor omnium et admirationem et laudem gratiamque optimo jure meruit. Quod autem ad id tempus pertinet, quo medicos libros a Celso scriptos esse Bianconius contendit; ad hujusce partem ego neutiquam possum accedere. Est mihi potius persuasissimum, eosdem Celsum sub extremis et imperii Augusti et suae ipsius vitae annis composuisse, et statuisse tanquam monumentum non solum posterius caeteris ipsius scriptis, verum etiam eruditionis experientiaeque plenius, dignius immortalitate et aere perennius.

Triplicis autem generis argumenta sunt, quibus haec nostra conjectura nititur. Quorum unum ad varios locos maxime spectat, qui vel apud Celsum vel in aliorum veterum scriptorum operibus occurrunt, idonei scilicet, unde lux aliqua nobis

Digitized by Google

conjecturarum ope exoriri queat. Atque eodem argumentorum genere in hac quaestionis parte praecipue usi sumus. Alterum vero sumtum est ex Latinae orationis in medicis CELSI libris florentis indole. Cujus diligentiori contemplationi melius convenire mihi visa est pars dissertationis nostrae secunda. Sed tertio etiam aliquantus argumentorum fons sententiae nostrae probandae aperitur accurata deliberatione auctoritatis, quae concedenda sit CELSO tanquam medico, et pretii aestimatione, quod tribuere debeamus rebus de medendi arte ab eo propositis. Atque in ea re tertia versabitur libelli nostri pars, cui quidem maxime quaestio de CELSI professione objecta est.

CAPUT I.

Itaque jam ad illud argumentorum genus progrediamur, quod huic priori dissertationis parti proposuimus atque concrescere diximus ex variis et apud CELSUM et apud alios antiquitatis scriptores occurrentibus locis. Primus autem ante omnes commemorandus est QUINTILIANUS, quippe qui in opere *de Institutione Oratoria* CELSI nostri saepius meminit, et unum potissimum locum reliquis graviorem perhibuit, unde nobis in aetate CELSI haesitantibus certius forte aliquid conjicere liceret. Est autem M. FABIUS QUINTILIANUS auctor gravissimus, qui Hispanus ortu post NERONIS necem Romam

Digitized by Google

adductus, non in foro solum summa cum laude versatus est, verum etiam studiis excultus Graecorum et Latinorum auctorum et maxime CICERONIS, cujus admirator erat aemulusque, sub DOMITIANO Imperatore, circa annum U. DCCCXL., suum praeclarum, accuratum atque elegans opus *de Institutione Oratoria* conscripsit. Quem accuratius cognoscere cujus intersit, inspiciat FABRICII *Biblioth. Lat.* Tom. II. l. II. c. 15. p. 256 sqq. Sed ille, quem causae nostrae propiorem esse dixi, locus reperitur in l. III. *de Instit. Orator.* c. 1. p. 435 sqq. ex edit. GEORG. LUD. SPALDINGII, Lipsiae, anno 1798. Atque haec sunt auctoris ipsius verba: *Scripsit de eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio: accuratius vero priores Gallione Celsus et Laenas, et aetatis nostrae Virginius, Plinius, Tutilius.*

Ad CELSI igitur aetatem quod attinet, ex citato hoc loco primum discimus, eum non solum ante QUINTILIANI tempora, sed etiam VIRGINIO, PLINIO TUTILIOque prius scripsisse. Hosce autem ipsos QUINTILIANO rhetorica sua scribente vitam jam posuisse, cognoscitur ex sequentibus, ubi *se parcere nominibus viventium* auctor dicit. Unde novum aliquod nobis concrevit, si eo egeremus, argumentum, quod iis opponeremus, qui ad TRAJANI usque imperium CELSI vitam produxerunt. Sed tamen et patre GALLIONE priorem CELSUM una cum LAENA artes suas composuisse a QUINTILIANO docemur. Quaestio igitur exoritur, quo tempore pater GALLIO ille exstiterit scriptor. Qua

Digitized by Google

quidem dijudicata facilius erit statuere aetatem CELSI. At vero ejusdem GALLIONIS ipsius non aetas solum, verum etiam persona in dubio latet et incerto. Quam ob causam MORGAGNIUS, qui, quod equidem sciam, primus laudavit QUINTILIANI illum locum tanquam quaestioni de CELSI aetate utiliorem, viros doctos invitavit, quorum interesset scire, quo tempore CELSUS sua scripserit, ut in GALLIONIS aetatem diligentius inquirerent. Ita enim loquitur in *Epist.* IV. *in Aur. Cornelium Celsum*, p. 54. ex edit. CELSI *de medicina* Argentorati, anno 1806. Vol. II.: *Quot scripserit* sc. CELSUS *ante Claudium annis, conjicere poterunt, qui forte sciant, quo anno Gallio pater, sive is, ad quem ab L. Seneca fratre liber missus est de Vita Beata, sive alius fuerit, sua de eloquentia miserit; priorem enim patre Gallione sua Celsum edidisse, auctor est M. Fabius.* Atque id MORGAGNII monitum summa cura persequutus est BIANCONIUS in *Epist.* II. *ad Tirabosch.* convers. German. edit. a KRAUSIO p. 9 sqq. et in *Epitom. Lat.* ex edit. CELSI *de medicina*, Argentorati anno 1806. Vol. I. p. 40 sq. Sed BIANCONIO contrarius jam exstitit TARGA in *praefat.* ad suam CELSI editionem paulo ante citatam p. 14 sq. atque ostendit, sententiam illius non esse probabilem. Haec autem est BIANCONII argumentatio.

Primum quod ad personam GALLIONIS patris, de quo quaeritur, attinet, criticus ille sibi persuadet, eum intelligendum esse, qui L. SENECAE philosophi fratrem natu majorem adoptaverit et, quo facilius distingueretur a filio hoc adoptato, patris

Digitized by Google

agnomine ornatus sit. Eundemque GALLIONEM dicendi facultate floruisse et ad judicium de oratoribus Romanis ferendum jam aptum fuisse, antequam MESSALA CORVINUS, clarissimus ipse Romae orator, et NASO poëta mortem oppetiissent, quorum quidem utrique etiam amicissimus fuerit, concludit BIANCONIUS ex M. SENECAE rhetoris *Suasoria* III. p. 28 sqq. ex edit. c. not. varior. Amstelodami, anno 1672., ubi inter alia haec occurrunt: *Quaerebat a Gallione Messala, quid illi visus esset Nicetes?* et paulo post: *Hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse.* Etenim cum MESSALA, clarissimus ipse orator, GALLIONIS judicium de oratoria NICETIS virtute petierit, etiam GALLIONEM jam MESSALA adhuc vivente judicii auctoritate valuisse suaque rhetorica edidisse, verosimillimum esse opinatur BIANCONIUS. Ex eodem autem colloquio, quod GALLIO cum MESSALA fecerit, atque ex ratione ea, qua NASONEM commemoraverit adpellans suum, familiaritatem colligit BIANCONIUS, quae cum MESSALA OVIDIOque intercesserit GALLIONI. Itaque ad investigandum tempus ipsum progreditur, in quod MESSALAE CORVINI obitus inciderit. Quo quidem cognito annus ille facilius possit judicari, quo GALLIO eloquentia claruerit suaque de rebus rhetoricis in lucem protulerit. Hoc autem dato tempore etiam CELSI GALLIONE prioris aetatem accuratius statuendam esse BIANCONIUS MORGAGNIUM sequutus contendit. Itaque MESSALAE mortem circa dimidium AUGUSTI imperium ponit auctoritate nisus cum NASONIS, qui l. I. *Epist. ex Ponto*

Digitized by Google

VII. v. 29. *se neci Messalae interfuisse ejusque parentalia adspexisse* testatur, tum scriptoris *dialogi de causis corruptae eloquentiae*, qui, ex edit. *Oper.* C. Cornelii Taciti, Biponti anno 1779. Tom. IV. §. 17. p. 161., *Corvinum in medium usque Augusti principatum durasse* distinctis verbis affirmat. Quapropter Bianconius ab Eusebio *in Chronicis* suis docente, *Messalam Corvinum oratorem inedia se confecisse circiter extremos Augusti annos*, dissentit, atque concludit, siquidem Gallio pater ante Messalae exitum, mediis scilicet Augusti annis, scripta sua ediderit, Celsum eo priorem primis ipsis exstitisse Augusti Imperatoris annis.

Mihi autem haec de Gallionis patris persona a Bianconio disputata magnopere arridēnt. Cujus opinionis participem habemus etiam Spaldingium, doctissimum Quintiliani interpretem, quippe qui *in adnotatione ad hunc locum* edit. cit. profitetur, sibi eundem esse yideri Quintiliani Gallionem, qui in familiam adoptaverit M. Senecae filium fratremque L. Senecae, atque a M. Seneca saepissime commemoratus Junius Gallio adpelletur. Quanquam alius judicii est Burmannus, disputans, hunc Gallionem, de quo quaestio est, ipsum fuisse M. Senecae rhetoris filium eundemque, ad quem *liber de Vita Beata* a L. Seneca philosopho missus exstet. Sed illa quoque, quae de tempore Bianconius protulit, ad quod Messalae obitus referendus sit, multum mihi placent. Etenim major haud dubie tribuenda est *dialogi de causis corruptae eloquentiae* auctori, quilibet sit, quam Eusebio, judicii gravi-

Digitized by Google

tas. Atqui omni modo displicent ea mihi, quae ex propositis his consequi Bianconio videntur atque ad Gallionis patris et Celsi aetatem pertinent. Primum enim non intelligo, quo jure criticus ille ex colloquio Messalae et Gallionis de Nicetis arte dicendi a Seneca relato conjecerit, Gallionem tum temporis, in quod colloquium illud inciderit, ante Messalae scilicet mortem, i. e. circiter medium Augusti principatum, sua rhetorica jam emisisse propterea, quod Messala ab eo judicium de Nicete oratore quaesierit. Quasi laus eloquentiae judiciique de rebus oratoriis auctoritas non nisi scriptis editis, neque multo magis artis dicendi ipsius usu atque studiis in ejus exercitatione positis attingi potuerit! Orator, mehercule! scribendo non excolitur, aeque ac medicus artificesque alii, quorum res in usu experientiaque maxime sunt positae. At sine ulla fere, quae ex scriptis proficiscitur, laudis gloria summus aliquis exsistere atque haberi potest dicendi et medendi artifex judexque in rebus ad eas artes spectantibus. Quid enim, quod illa scriptorum laus, vera certe ac perennis, artificibus non nisi exercitatione artis praemissa fieri potest atque solet! Ergo concedamus Bianconio, Gallionem nostrum Messala adhuc vivo jam claruisse luce forensi; nihil tamen equidem video, quod mihi obstet ponenti, scripta sua rhetorica eum non prius quam Messala defuncto in lucem protulisse. Ejusdemque sententiae participem laudare licet Targam; quippe qui criticus eo solo utitur argumento, quo Bianconium confutet ex commemo-

Digitized by Google

rato Quintiliani loco colligentem, primis Augusti annis artes suas medicas scripsisse Celsum Gallione priorem, nec aliud quidquam inde sequi adjicit, quam ut Augusto florente floruerit etiam Celsus.

Verumtamen aliud etiam idque multo gravius mihi in promptu est argumentum opinioni Bianconianae contrarium, quod ex singulari institutionis genere, de quo M. Fabius loquitur, a me sumtum est neque ab ullo critico, quantum scio, hucusque deprehensum. Etenim non de medica, sed de materia rhetorica Celsum Gallione priorem scripsisse docet auctor *Institutionum Oratoriarum*. Quam ob causam etiamsi Bianconio demus, Celsum scripta sua ad oratoriam artem spectantia ante Messalae Corvini obitum, i. e. primis Augusti Imperatoris annis, edidisse; nequaquam tamen inde sequitur, ut etiam de medicina libros idem auctor eodem tempore composuerit atque in lucem protulerit. Sed multo verosimilius est, has duas longas artes multumque diversas diversis quoque temporibus ab uno eodemque homine esse tractatas. Neque vero unum illum, quem laudavimus, Quintiliani locum testem habemus rhetoricorum Celsi librorum; sed eorum saepius meminit idem auctor ac plurium insuper aliarum, quippe quae nec oratoriae nec medicae disciplinae, nisi communi doctrinarum vinculo, conjunctae sunt, artium institutiones a Cornelio Celso relictas esse refert. Quapropter commemoratu dignissimum est illud Fabii ex edit. Lugduni Batavorum et Roterodami c. not. varior. anno 1665. l. XII. c. ult. p. 914

Digitized by Google

sq.: *Marcus Censorius Cato idem orator, idem historiae conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus, inter tot operas militiae, tantas domi contentiones, rudi seculo literas Graecas aetate jam declinata didicit etc. Quam multa, imo pene omnia tradidit Varro? .... Quod plura? cum etiam Cornelius Celsus mediocri vir ingenio, non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris, et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquerit? dignus vel ipso proposito, ut eum sciisse omnia illa credamus.* Neque vero genus solum numerusque inde cognoscitur earum artium, in quibus Celsus versatus sit, sed ordo etiam ipse, quem auctor in iis componendis observarit, et tempus denique, quo in lucem sint prolatae. Rhetoricis autem Celsum prius quam medicis incubuisse jure colligimus, cum inter eas, do quibus scripserit, artes oratoria primum locum teneat, postremum vero medicina. Quae cum ita sint, equidem hoc maxime Quintiliani loco adductus statuo, Celsum adolescentia ad conscribendum idonea florentem rhetorica sua litteris tradidisse tanquam prima ingenii ac studiorum specimina eamque ob causam etiam leviora, aetate vero progressum adeptumque majorem scribendi maturitatem eum composuisse medica tanquam postrema, eruditione et experientia plenissima omniumque dignissima immortalitate monumenta. Etenim illo artium a Celso compositarum ordine non fortuito et inconsiderate usus est Quintilianus, sed, ut mihi videtur, de industria. Sed aliae quo-

Digitized by Google

que rationes eaeque probabiles ad hanc, quam de Celsi aetate in medium attuli, sententiam affirmandam mihi in promptu sunt, quas in secunda libelli mei parte, ubi accuratiori variorum Celsi scriptorum considerationi aptior erit locus, exponam. Jam vero id mihi concedatur eaque praesumtione concessa omnia optime quadrant. Nec amplius disputemus hoc tempore de iis, quibus libros de dicendi arte suos Celsus concinnaverit, annis. Nam ego ipse, nati Celsi tempore in initium seculi octavi p. U. c. posito, concedo quidem, primis Augusti annis ab eo conscripta esse rhetorica, verum medicorum concinnationem removendam esse censeo ad annos ejusdem Imperatoris extremos.

Quae cum ita sint, non potui, quin admodum mirarer, quod Morgagnius, Bianconius et Targa, qui quidem viri doctissimi ac subtilissimi duobus iis, quos Quintiliani citavimus, locis in Celsi aetatem inquirentes usi sunt, eas, quas nosmet ipsi jam attulimus, observationes, quaestioni scilicet nostrae utilissimas et luce clariores, non offenderint. Neque Spaldingius in eas incidit, quamvis priore illorum locorum multum esset vexatus. Itaque in statuenda Celsi aetate omnino haesitans cum sibi persuadere non posset, Gallionem, Nasonis familiarem, Celso fuisse posteriorem, eam iniit, qua sibi consuleret, rationem, quod conjiceret, scripsisse quidem Celsum sua prius Gallione, sed eum non antecessisse aetate.

Quae a nobis disputata quamvis ita sint in promptu, ut res conjectura non egeat; equidem

Digitized by Google

tamen non possum, quin meae ipsius institutionis causa quaestionem proponam judicio virorum, et aetate et usu rerum scientiaeque copia mihi antecedentium, an non omnis prioris illius loci sensus mutata interpunctione mutari queat et, commate post vocem *Gallione* posito, *priores* ad Cornificium et Sertinium potius referri, quam ad Celsum et Largam. Hac certe ratione omnis tolleretur, si qua restat, loci difficultas, sensusque verborum esset optimus ac rei conveniens. Namque ut Cornificium et Sertinium priores Gallione, ita Gallionem priorem cognosceremus. Celso et Largae, quos Virginius, Plinius et Tutilius, auctores aetate Quintiliani ipsa florentes, sequuntur.

CAPUT II.

Aditur vero locus, unde argumentum aliquod nobis de Celsi aetate quaerentibus praebetur, ex Celsi ipsius libris, qui exstant de medicina, sumtus est. In praefatione enim eorum, quae brevem aliquam medicinae continet historiam, a primis temporibus inceptam et ad auctoris ipsius usque aetatem productam, Themisonis cujusdam mentio fit, quem Laodicenum Syrum ortu Romae medicinam fecisse suaeque artis exercendae summa valuisse auctoritate atque gloria aliunde scimus. Qui cum non solum ultimum teneat locum in ordine eorum virorum, per quos maxime salutarem professionem Romanis

Digitized by Google

tione, eamque ob causam ex urbe Roma a MITHRIDATE rege sollicitatum esse, sed spretis ejus legatis et pollicitationibus praecepta pro se misisse, ex aliis PLINII locis discimus. Cujus auctoris inspiciatur Tom. I. l. VII. c. 37. sect. 37. p. 395., ubi haec: *Summa* sc. fama *Asclepiadi Prusiensi, condita nova secta, spretis legatis et pollicitationibus Mithridatis regis, reperta ratione, qua vinum aegris mederetur, relato e funere homine et servato: sed maxime sponsione facta cum fortuna, ne medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse: et victor, suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est.* Nec non Tom. II. l. XXV. c. 2. sect. 3. p. 359., ubi haec: *Ad illum* sc. MITHRIDATEM *Asclepiadis medendi arte clari, volumina composita exstant, cum sollicitatus ex urbe Roma, praecepta pro se mitteret.* De schola vero ASCLEPIADIS videatur Tom. II. l. XXIX. c. 1. sect. 5. p. 494. nec non l. XXII. c. 25. sect. 61. p. 286., quippe quae etiam POMPEJI MAGNI aetate exstitisse refertur. Neque *Historiae Naturalis* auctor solus, sed STRABO etiam *in Rerum Geographicarum* l. XII. p. 566. Parisiis, anno 1620. edit., item CICERO *de Oratore* l. I. c. 14. §. 62. p. 46. ab OTTONE MAURIT. MUELLERO Lipsiae et Zuellichaviae anno 1819. edit., atque CELSUS denique, SCRIBONIUS LARGUS, GALENUS, CAELIUS AURELIANUS aliique Prusiensis illius medici insigni quadam cum laude meminerunt. Quod igitur ejus aetatem attinet, quae maxime nostra jam interest, ea in exitu seculi septimi p. U. c. in universum ponenda esse videtur propterea, quod eo potissimum

Digitized by Google

tempore POMPEJUM MAGNUM floruisse historia teste scimus. Nam anno U. DCXLVIII. natus ille vir Romanus, posterioribus ejusdem seculi lustris MAGNI cognomine aliisque summis honoribus ornatus exstitit obiitque supremum diem initio seculi sequentis. Quae cum ita sint, rationem nacti sumus sat probabilem, qua THEMISONIS aetatem in principio seculi octavi poneremus atque ad primos vel medios etiam Augustei imperii annos proferremus. Fuit enim THEMISON ASCLEPIADIS discipulus successorque, neque solum eandem fere, qua praeceptor floruit, artis laudem et auctoritatem consequutus est, sed pervenit etiam ad senectutem. CELSUS igitur THEMISONE paulo posterior, veluti ex significatione vocis nuper in CELSI libris saepius occurrentis aliisque insuper ex signis bene colligitur, medica sua scripsisse videtur extremis AUGUSTI Imperatoris annis. Atque ea quidem temporis ratione et argumentatione etiam revera usos esse videmus CLERICUM l. c., item part. II. l. IV. sect. 1. c. 1. p. 439 sq. nec non l. III. c. 4. p. 392 sq., SCHULZIUM l. c. et l. II. c. 13. sect. 577. p. 291 sq. nec non c. 12. sect. 532. p. 269 sq., MORGAGNIUM et TARGAM l. c., qui critici omnes haud multum inter se differunt.

Est autem BIANCONIUS, qui primus exstitit huic communi et jam inveteratae fere sententiae adversarius aliamque iniit rationem, qua eorum, quos laudavimus, medicorum constitueret aetates. Etenim CELSO, medicorum voluminum auctore ad

Digitized by Google

priores Augusti annos relato, necesse esse intellexit, ut etiam obitus ASCLEPIADIS et THEMISONIS, unde CELSI aetas quodammodo dependet, in priora tempora rejiceretur. Itaque CICERONIS maxime, quam in suae opinionis utilitatem converteret illisque opponeret, auctoritate usus est. Haec enim in TULLII libro *de Oratore*, cujus locum citatum videas, leguntur: *Neque vero Asclepiades is, quo nos medico amicoque usi sumus, tum, quum eloquentia vincebat veteros medicos, in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur, non eloquentiae.* Quo quidem ex loco licet altera quoque criticorum laudatorum pars argumentum quoddam ad suam opinionem de ASCLEPIADIS, THEMISONIS et CELSI aetate stabiliendam sumserit; id tamen in magno errore positum esse BIANCONIUS demonstravit. Illi enim inde collegerunt, ASCLEPIADEM CICERONIS fuisse medicum amicumque; atque dum alii ex iisdem, veluti CLERICUS p. 408 sq. et SCHULZIUS p. 279. familiaritatem eam, quae ASLEPIADI intercesserit cum TULLIO, Romano illo ingenii doctrinaeque luce clarissimo ac rerum gestarum laude summisque honoribus ornatissimo, Prusiensi medico maximae dant commendationi: alii, ut idem SCHULZIUS p. 300 sq. et TARGA in pag. cit., inde patere sibi persuadent, CICERONEM ASCLEPIADEMque aequales fere fuisse, ita ut huic ille aliquantulo tantum temporis superfuerit. Dicunt enim, ASCLEPIADEM vitam posuisse paulo ante compositionem Ciceroniani illius de Oratore libri, idque ex tempore conjiciunt verbi, usi sumus. Itaque

Digitized by Google

cum monumentum illud de Oratore circiter annum U. DCXCVIII. compositum esse constet, Asclepiadis aetatem referendam esse censent ad posteriores seculi septimi annos sive id, quod Magni Pompeji esse diximus, aevum. Atvero huic conclusioni Bianconius opponit, non Ciceronis, sed potius L. Licinii Crassi medicum amicumque Asclepiadem esse habendum. Etenim quamvis Cicero utique fuerit libri de Oratore auctor; tamen adhibita dialogi forma illa, quae de Asclepiade dicta sint, verba judicanda esse, quasi exeant ex ore Crassi oratoris, qui quidem disputans inductus sit. Itaque cum L. Licinius Crassus anno U. DCLXIII. esse desierit atque Asclepiadis recordatus sit tanquam exstincti; hunc ipsum occubuisse apparere ante illum, quo Crassum defunctum esse diximus, annum. Quodsi poneretur, eo ipso tempore, quo Asclepiades a vita decesserit, Themisonem ad minimum habuisse XXX. annos, cum scilicet non solum discipulus Asclepiadis, sed successor etiam ejusdem celebratissimi medici fuerit, clarissimus ipse salutaris professionis usu, atque jam ante praeceptoris obitum quaedam litteris tradiderit; circa annum U. DCXXX. Themisonis ortum statui posse censet Bianconius. Sed cum Themison non famam solum praeceptoris, verum etiam ejus aetatem Celso Plinioque testibus propemodum adsequatus sit; Bianconius ei benevole largitur in universum LXXX. vitae annos atque in initium seculi octavi mortem ejus ponit. Hac autem ratione argumentari studet, Celsum, quem The-

Digitized by Google

MISON paulo antecesserit, artes suas elaborasse primis Augustei imperii annis.

Mihi autem cum alia ex iis admodum arrideant, quae BIANCONIUS Ciceroniano illo loco adductus disserait; alia tamen etiam vehementer displicent, atque opinioni magis, quam veritati, accommodata esse videntur. Etenim subtilissima utique est ad doctissima adnotatio illa BIANCONII, contendentis, non a CICERONE, sed a CRASSO ASCLEPIADEM laudatum esse medicum amicumque. Nam CICERO usus est, quemadmodum saepius ad modum PLATONIS sui, ita in hoc quoque *de Oratore* libro illo, quod dialogum dicimus, disputandi genere. Itaque L. LICINIUS CRASSUS, Q. MUCIUS SCAEVOLA, M. ANTONIUS, natu majores, et C. COTTA ac P. SULPICIUS, adolescentes discendi causa, senectutis studiosi, tanquam personae colloquentes ab auctore inducuntur l. I. c. 7. p. 20 sqq. ex edit. cit. Ac de ipsa dicendi arte disputantes ex sequentibus cognoscimus maxime ANTONIUM et CRASSUM. Idem autem hic CRASSUS ASCLEPIADIS medici amicique sui meminit. Quam ob rem neutiquam mihi persuadere possum de veritate ejus, quod BIANCONIO respondet TARGA, in opinione subsistens, non CRASSUM, sed CICERONEM esse eum, qui medici et amici nomine ASCLEPIADEM salutet. Nam commentitia est, ait hic criticus, L. CRASSI cum M. ANTONIO disputatio, atque evidens, in libris de Oratore M. TULLIUM, dum optimi oratoris imaginem effingere studuerit, suam ipsius nobis exhibuisse. Idque tam CICERONIS ipsius, quam PEARCII, illorum librorum argumenta expo-

Digitized by Google

nentis, auctoritate affirmat illustratque exemplo aliarum Ciceronis philosophicarum disputationum, ut Tusculanarum, Academicarum et quaecunque aliae huc pertinent, eadem disserendi ratione ornatae. Ergo standum esse judicat Plinio testato, Magni Pompeji aetate Asclepiadem vixisse, atque adhortatur Bianconium, ut eo contentus sit, quod Celsus, etiamsi non primis Augusti annis, vivente tamen eo Imperatore artes suas ediderit atque ita repositus sit inter aureae aetatis scriptores. At enim eam ipsam ob causam, quia commentitia est illa Crassi cum Antonio de Oratore disputatio, Asclepiades Crassi medicus amicusque cogitandus est. Id certe exposcit dialogi natura, ut sermones omni ex parte respondeant conveniantque earum, quae disputantes inductae sunt, personarum aetati, ingenio moribusque. Itaque cum ex communi universae posteritatis consensu illud de Oratore monumentum eorum, quaecunque Ciceronis exstant, excultissimum fere sit, perfectissimum et immortalitate dignissimum quoad res, quae praecipiuntur, aeque ac orationem, in qua expolienda summam curam diligentiamque auctor collocasse videtur; propositas illas dialogi leges Ciceronem in loco eo, quem attulimus, neglexisse atque in id incidisse vitiorum genus, quod maxime perspicitur confusione quadam temporum personarumque, neutiquam verosimile est. Neque eam tamen ob causam una cum Bianconio inde concludendum est, Crasso prius a vita decessisse Asclepiadem. Duo autem potissimum mihi in promptu sunt, quibus propositum id

Digitized by Google

adprobem, argumenta; quorum alterum ad Latinae orationis spectat ingenium, alterum vero ad id, in quo disputatio ipsa de Oratore ab auctore posita est, tempus. Quae quidem argumenta paulo accuratius exponam, postquam de ipso loco ejusque, qui verus mihi videatur, sensu pauca verba praemisero.

Video enim librorum de Oratore interpretes in loco laudato haesitasse atque dissensisse inter se de verbis aeque ac de sensu eorum. Atque rarior utique est verborum constructio sensusque difficilior cognitu. Sunt enim praecipue verba *non eloquentiae*, quae turbant vexantque. Quam ob causam eadem tanquam glossema elegantiam clausulae deformans expunxit Schuetzius, Vir Clarissimus atque Venerabilis criticorum nostrae aetatis Nestor, et comparavit c. 50. *neque vero — hic disertus* etc. Harlessio autem, critico ingenii acumine doctrinaque ornatissimo, ea retinenda esse videntur propterea, quod in codd. Erl. et veteribus reliquisque edd. diserte legantur neque Ciceronis consuetudini et rationi dicendi repugnent. Ejusdemque ad sententiam accessisse video Muellerum, Virum Eruditissimum, et sibi persuasisse, idem esse, ac si Cicero scripsisset: *Neque Asclepiades, non eloquentiae, sed medicinae facultate utebatur.* Atvero haec Muelleri interpretatio, si ullum quem, nec verbis certe his ipsis, nec toti loco convenientem nobis praebet sensum, sed etiam contrarium. Ego igitur, quod ad sensum verborum pertinet, utique consentio Schuetzio atque eadem lucis causa confero,

Digitized by Google

quae hic comparavit, verba paulo post occurrentia. Itaque vocabula ista non eloquentiae aut tanquam glossema expungenda esse equidem cum SCHUETZIO censeo, aut siquidem in codicibus fide dignissimis veteribusque editionibus revera reperiantur, ea etiam mihi cum HARLESSIO et MUELLERO retinenda quidem esse videntur, sed alia quadam interpretatione ornanda. Tum enim haud scio, an recte conjiciam proponens, duplicem hanc negationem *neque non* vim habere aeque in hac, atque in antecedenti, periodo affirmantem, neque vero negantem, quasi CICERO CRASSI persona usus dicere voluisset: *Neque Asclepiades medicinae facultate utebatur, sed eloquentiae, in eo ipso, quod ornate dicebat.* Hac certe ratione duplex periodi antecedentis negatio *nec non* intelligenda esse mihi videtur, quasi dictum esset: *M. Antonius pro Hermodoro de navalium opere tanquam de alieno opere, quum ab illo causam didicisset, ornate copioseque dicere potuisset.* Itaque hujus loci vocabula *nec non*, *quum* idem significarent, quod nec nisi. Etenim, ut verus sensus inveniatur, ad locum illum, de quo disputatur, confugiendum est, atque ratio habenda verborum paulo ante propositorum: *physica ipsa, et mathematica, et quae paullo ante ceterarum artium propria posuisti, scientiae sunt eorum, qui illa profitentur: illustrare autem oratione si quis istas ipsas artes velit, ad oratoris ei confugiendum est facultatem.* Quodsi cui illa a nobis proposita interpretatio loci ejus, de quo quaeritur, difficilior, quam fas est, videatur;

Digitized by Google

huic equidem respondeo, verosimiliorem mihi utique visam esse SCHUETZII opinionem, ex qua vocabula *non eloquentiae* plane expungerentur tanquam glossema. Quod, ni fallor, a librario aliquo additum forte est, qui totum locum non bene perspexit et duplici negatione periodi antecedentis ad hoc additamentum adductus est. Quae cum ita sint, ad ea, quae nobis paulo latius exponenda sunt, jam redeamus argumenta. Quorum unum, quo demonstrem, ASCLEPIADIS obitum non ponendum esse ante diem CRASSI supremum, ex orationis Latinae adsumsi, veluti vidimus, ingenio. Etenim illud CRASSI, *usi sumus Asclepiade medico amicoque*, quatenus tempus praeteritum indicat, non ad vitam referendum est, quasi ea ASCLEPIADI omnino praeterierit tum, cum CRASSUS colloqueretur, sed ad familiaritatis potius consiliique medici usum, qui CRASSO de Oratore disputanti eodemque tempore ASCLEPIADIS memori non patuit. Itaque conditio maxime respicienda est, sub qua CRASSUS ASCLEPIADIS sui meminerit. Hic enim ipse medicus oratorum colloquio illi non interfuit; quam ob causam, quamvis ASCLEPIADES vita adhuc frueretur, ingenio tamen Latinae orationis conveniens fuit, ut CRASSUS diceret, *usi sumus Asclepiade medico amicoque.* Etenim si qua in re, in oratione praecipue perspicitur Romana gravitas; unde fit, ut verba accuratissime respondeant ubique rebus cogitationibusque, iisque sint aptissima. Est autem CICERO communi judicio omnium aetatum orationis Latinae princeps ac ma-

Digitized by Google

gister, atque illud de Oratore monumentum maxime expolitum. Alterum autem eorum, quae attulimus, argumentum spectat ad id, in quod disputatio illa Crassi cum Antonio incidit, tempus. Etenim paulo post disputationem eam ipsam ingenium L. Crassi immortalitate dignum, ejusque humanitas ac virtus morte exstincta subita est, teste Cicerone ipso *de Oratore* l. III. c. 1. §. 1. p. 423 sqq. Itaque hanc etiam ob causam probabile est, Ciceronem fecisse verba exire ex ore Crassi proxime moriendi de Asclepiade illa, *usi sumus.*

Quodsi de laudato illo loco Ciceroniano vere vel probabiliter etiam explicuimus, nobis quoque una cum Clerico, Schulzio, Morgagnio et Targa standum esse videtur Plinio referenti, Asclepiadem floruisse aetate Pompeii Magni. Nec equidem video, quid impediat, quo minus Prusiensem salutemus medicum amicumque cum L. Crassi, tum etiam M. Tullii; quamvis hic illum, quod equidem sciam, nusquam adpellet suum. Aequalis vero utique fuit Ciceroni Asclepiades, etiamsi familiaritate ejus caruit. Etenim ortu ejus in initium seculi septimi p. U. c. posito, aetate viguit virili et salutari professioni maturiore tum, cum L. Crassus morte exstinguebatur. Supremam vero teste Plinio consequutus senectam etiam lustra attingere potuit ejusdem seculi extrema. Atque haud scio, an recte conjecturus sim ex memoria ipsa, quam Asclepiadis habuerit Cicero, aequalitatem aetatis, quae iis intercesserit. Ex iis autem, quibus Crassus ille

Digitized by Google

Ciceronianus utitur, verbis *tum, quum eloquentia vincebat ceteros medicos* patere mihi videtur, non longius intervallum interfuisse inter colloquium illud atque id tempus, quo Prusiensis orandi magister ab arte forensi repente se converterat ad medicinam eidemque deditos facilius superaverat eloquentia duce. Sed tamen, ne nosmet ipsi forte falsae subtilitatis accusemur et loquacitatis, mittamus jam istas argutias: satis id nobis comprobatum esse videtur, quod comprobationi propositum erat. Quodsi Bianconius laude dignissimus est, quatenus eum errorem primus detexit atque manifestavit, in quem omnes fere inciderant, qui in hoc quaestionis genere ante versati erant, viri critici, confundentes scilicet Ciceronem, disputationis auctorem, ejusque disputatorem, Crassum; vituperationem tamen eam ob causam mereri videtur, quod opinionis suae amore et majori, quam fas est, novitatis studio adductus Plinium, cujus testimonium de Asclepiadis aetate allatum cum ipsius causae non consentiret, vel erroris accusavit vel negligentiae etiam. Etenim aut Pompeji Magni atque Mithridatis aetates confudisse *Historiae Naturalis* scriptor arguitur, aut Asclepiadem rhetorem medicumque nostrum atque alium quendam, qui Grammaticus ejusdem Pompeji tempore secundum Suidam vixit. At vero ea ratione, qua sibi consulere studet, Bianconius non expedit, veluti decet, nodum, sed dissecat enim. Quapropter, ut probabiliorem faciat suam opinionem et paululum excuset Plinii errorem, hunc ipsum eo facilius accidere potuisse ad-

Digitized by Google

jecit, quo brevius fuerit inter Pompejum et Ponticum regem temporis intervallum. Caeterum vero utrique eorum agnomen fuerit Magni atque Romanae gravitati conveniens, proverbii instar dicere, temporibus Magni Pompeji. Quae quidem Bianconii conjectura quam difficilis sit et vere extorta indignaque Plinio, in promptu est. Itaque, quamvis subtilitatem ingenii doctrinaeque copiam et vera Bianconii merita de Cornelii Celsi Vita admodum illustrata grato animo agnosceremus, non potuimus, quin sophisticarum etiam, quas nonnunquam adhibuerit, artium eum accusaremus non utique honestarum laudabiliumque. Est enim Plinius auctor gravissimus, accuratissimus rerumque gestarum praesertim peritissimus, ita ut, si qua occurrant in ejus libris falso relata, ea potius ad cognitionem spectent quaestionum naturalium, quam ad res historicas. Quo quidem de auctore consulatur Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. Lat.* Tom. II. l. II. c. 13. p. 179 sqq. ed. ab Ernesti. Neque semel modo, sed saepius refert Plinius medicum Prusiensem ad Pompeji Magni aetatem, nec ipsum solum, verum etiam ejus scholam, ut supra doctumus. Eundem autem scriptorem bene distinxisse Pompejum Magnum a Magno Mithridate, luculenter adparet e. g. ex Tom. II. l. XXV. c. 2. sect. 3. p. 359 sq. Quam ob rem tametsi Bianconio dare vellemus, Plinium Romanum adductum esse ambitione quadam, qua Mithridaticae aetatis loco laudaret tempora Pompeji; ea tamen ipsa tum ad bellum a Pompejo cum Pontico rege gestum triumphumque

Digitized by Google

Romanorum inde deportatum maxime referenda esse ex eo patet, quem citavimus, loco. Etenim non nisi victoris Romani lux atque celebratio obscurare potuit memoriam Pontici regis victi. Incidit autem haec gloriosa Pompeii victoria ex Mithridate relata in annum U. DCLXXXVIII. Atque eadem fere inde conveniret, quam vero proximam proposuimus, Asclepiadis medici aetas. Sed quod alterum attinet erroris genus, in quod Plinium incidisse Bianconio verosimile esse videtur, id profecto non minus indignum est illo auctore gravissimo. Atque eo ipso, quod frequentiorem etiam accuratioremque mentionem habuit in praeclaro suo opere Prusiensis medici ejusque vitae et scholae, certiores nos fecit, non confusum esse ab ipso illum Asclepiadem Grammaticumque. Nec Ciceronis denique monumenta eundem Plinium fugisse, sed ad veram etiam Asclepiadis medici personam et aetatem juste distinguendam ei patuisse persuademur, cum saepius laudaverit M. Tullium eumque alteram alicubi adpellaverit post Homerum doctrinarum lucem.

Quodsi verum est, quod non amplius negari potest, Asclepiadem medicum ineunte seculo septimo p. U. c. natum usque ad exitum ejusdem seculi durasse; meo judicio sequitur, ut Themison, auditor Asclepiadis successorque circa finem seculi septimi et sequentis seculi initium maxime floruerit et, cum ad senectutem etiam pervenerit, vitam perduxerit ad priores usque Augusti Imperatoris annos. Quae cum ita sint, in extremis

Digitized by Google

ejusdem Augusteae aetatis annis haud scio an non summo jure ponenda sit compositio medicarum artium CORNELII CELSI, cum auctor hic THEMISONEM laudans saepius usus sit additamento *nuper*. Ut scilicet alios omittam: *in medicis* CELSI occurrentes locos, in quibus auctor THEMISONEM ejusque discipulos adpellat medicos sui seculi opponitque medicis seculorum praeteritorum. Qua de re vid. praefat. ad CELS. *de Medic.* l. I. p. 15. item l. II. c. 12. p. 85. nec non l. III. c. 4. p. 119.

CAPUT III.

Postquam igitur in primo quaestiunculae hujus nostrae capite ex duobus potissimum iis, quos attulimus, QUINTILIANI locis conjecimus, rhetoricorum quidem auctorem CORNELIUM CELSUM exstitisse prioribus AUGUSTI annis, sed ad exitum ejusdem Augustei aevi referendam esse compositionem librorum medicorum, eamque nostram conjecturam secundo in capite stabilire et adprobare studuimus aetatibus ASCLEPIADIS ac THEMISONIS diligentius investigatis accuratiusque constitutis; tertium aliquod jam ineamus sententiarum certamen cum BIANCONIO nostro idque, ut mihi videtur, omnium difficillimum. Ad quod, ne perdita esset res nostra, sed quam maxime etiam perfecta victoria, non defuimus, quo minus nos accingeremus rationibus pro-

Digitized by Google

babilibus, quas adversarii nostri opponeremus singulari ingenii acieï. Namque eadem illa medicinae historia a Cornelio Celso aeque accurate ac splendide exposita librisque de medicina ipsis praemissa, quippe quae hucusque judicio nostro favit eique majorem tribuit gravitatem auctoritatemque, hoc ipso tempore vel contraria esse videtur. Etenim si eam cum historia conferimus ejusdem artis medicae a Plinio *Hist. Natur.* Tom. II. l. XXIX. c. 1. p. 493 sqq. tractata, quippe in qua componenda auctor, veluti luculenter adparet, ante oculos habuit Celsum; quaestio nobis occurrit, qui venerit, ut Celsus Antonium Musam, celeberrimum Augusti Imperatoris medicum, silentio utique praeterierit atque Themisone laudato finem imposuerit splendidae praestantissimorum medicorum seriei, totique professionis salutaris historiae. Commendatum enim immortalitati eundem Musam videmus a Plinio, p. 494. sect. 5., atque ordini adnumeratum eorum medicorum, qui huic quidem scriptori commemoratu digni visi sunt Quod Celsi silentium tanto magis mirari licet, cum Antonius ille Musa non modo Augusti Imperatoris medicus fuerit, verum etiam medendi peritissimum se praestiterit et, quamvis servili conditione, libertas tamen summa floruerit fama atque honorum luce. Idem enim est, qui divum Augustum ad desperationem jam redactum gravi vitae periculo exemit, nova scilicet quadam adhibita methodoque Cameliï, prioris medici, contraria medendi ratione. Quae quamquam anceps erat, effecit tamen, ut ex ancipite morbo Imperator convale-

Digitized by Google

soceret. Quam ob rem a MUSA optime gestam non pecunia solum multa ei data est ab AUGUSTO senatuque Romano, sed permissus etiam annuli aurei usus et immunitas concessa tam auctori ipsi, quam omnibus artem exercentibus salutarem et tum temporis et in posterum. Quid enim, quod statua etiam, aere collato, juxta signum AESCULAPII eidem posita est? Vehementer enim laetatus erat hac ANTONII curatione tam Imperator ipse conservatus, quam senatus populusque Romanus et totus fere terrarum orbis Imperatori AUGUSTO deditus. Incidit autem hujus morbus curatioque a MUSA feliciter suscepta in annum U. DCCXXXII., quo AUGUSTUS Consul XI. fuit et collegam habuit CALPURNIUM PISONEM. Sed genus morbi, quo princeps laboravit, jocinoris, quantum scimus, vitium fuit, atque calidis hucusque adhibitis remediis ANTONIUS MUSA maxime in usu habuit refrigerantia. Nec vero MUSA hic solus excelluit medendi arte, sed etiam frater ejus, EUPHORBUS, medicinam cum laude fecit JUBAE; a quo Mauritaniae rege, utpote studiosissimo ipso medicae scientiae nobilissimae, herba quaedam inventa in medici honorem adpellata esse dicitur Euphorbia. Quarum quidem rerum de ANTONIO MUSA ejusque fratre, EUPHORBO, a nobis jam relatarum auctores habemus PLINIUM in *Hist. Natur.* Tom. II. l. XIX. c. 8. sect. 38. p. 175., item l. XXV. c. 7. sect. 38. p. 371. nec non l. XXIX. c. 1. sect. 5. p. 494. C. SUETONIUM TRANQUILLUM in *C. Octavio Caesare Augusto* II. c. 59. p. 115. et c. 81. p. 132. sq. edit. Lugduni Batavorum, anno 1745. atque CASSIUM

Digitized by Google

DIONEM, *Hist. Rom.* Vol. I. l. LIII. c. 30. p. 724 sq. ex edit. c. not. varior. Hamburgi, anno 1750.

Eodemque CELSI silentio de ANTONIO MUSA observato, quo sententiam suam de CELSI aetate propositam adjuvaret, revera usum esse videmus BIANCONIUM in *Epist.* IV. *ad Tirabosch.* p. 34 sqq. et in *Epit. Lat.* p. 42 sq. Etenim si verum est, disputat hic criticus, ANTONIUM illum MUSAM tam fama et auctoritate, quam gratia AUGUSTI Imperatoris imperiique Romani ac singulari quadam benevolentia ornatissimum fuisse, ita ut caeteris sui temporis medicis multum praestaret; quippe quod PLINIO, SUETONIO et DIONE CASSIO testibus non habemus, cur in dubium vocemus: quid ergo, quod ille celebratissimus Romae medicus a PLINIO quidem in brevissima medicinae historia commemoratus reperitur et THEMISONI adjunctus, utique vero omissus est a CELSO cum in praefatione, tum in ipsis de medicina libris? Est autem haec CORNELII praefatio omnium consensu artificium quoddam aeque diligentia atque elegantia vere egregium et splendidum profecto vetustatis monumentum; abundantque libri medici ipsi cum scriptorum omnis generis nationisque auctoritatibus, tum formulis remediorum rerumque gestarum exemplis. Itaque BIANCONIUS sibi persuadere non potest, CELSUM diligentissimum et accuratissimum in laudandis auctoribus oblivionem cepisse ANTONII MUSAE cum in praefatione, tum in libris de medicina ipsis; sed sagacissime inde concludit, compositas esse medicas CELSI artes prius, quam summum AUGUSTO con-

Digitized by Google

servato ANTONIUS medicus consequutus sit gloriae atque honorum acumen, i. e. ante annum U. DCCXXXII. Nam hos viros CELSUS sibi proposuerit laudare, per quos maxime salutaris ista Romanis professio increverit. Atque tertium id efficit, cujus momento BIANCONIUS causam suam instruxit, argumentum.

Quodsi ad reliquos nos vertimus viros eruditos, quos accuratius versatos esse diximus in statuenda CELSI aetate, CLERICUM, quanquam de ANTONII MUSAE vita rebusque gestis copiosius expliçuerit in part. II. l. I. c. 1. p. 555 sqq., tamen non ita tractasse videmus silentium a CELSO de MUSA obtentum, unde rationem aliquam sumeret de CELSI aetate disputans p. 517. Neque MORGAGNIUM eodem usum esse reperimus. Sed SCHULZIUS primus est, quantum novi, qui locum illum attigit, p. 300 sq., et, quamvis obiter eum tractaverit, aperuit tamen BIANCONIO ad inveniendum illud argumentum latiusque exponendum aditum. Hanc enim iniit historiae ille scriptor, qua ASCLEPIADIS, THEMISONIS et CELSI aetates statueret, rationem. ASCLEPIADIS igitur aetate ad MITHRIDATIS et POMPEJI MAGNI tempora relata ejusdemque obitu ante compositionem Ciceroniani de Oratore monumenti posito senectutem THEMISONIS vel ante primos AUGUSTI annos statuit vel in eos ipsos incidisse concedit, idcoque CELSUM Imperatore AUGUSTO adhuc vivente ac florente artes medicas scripsisse facit propterea, quia THEMISONIS tanquam paulo ante defuncti mentionem habuerit et silentio praeterierit

ANTONIUM MUSAM, quippe qui Themisoniana mutaverit. Causam autem ipsam, cur CELSUS MUSAM scribendo non attigerit, non attulit, sed in medio utique reliquit. Sed duplex, veluti considerantibus nobis videtur, haec esse potest. Namque aut aequales fuisse CELSUM et MUSAM, aut huic illum aetate antecessisse SCHULZIUS sumsit. Quodsi hoc apud animum statuisset, non utique sibi constitisset. Etenim alio in loco, p. 292., dicit, THEMISONEM facile potuisse ante finem AUGUSTI senem haberi et decedere. In posterioribus ergo AUGUSTI annis THEMISONIS decessu jam posito, a se ipse dissentiret judicans, CELSUM medica sua scripsisse temporibus ejusdem Imperatoris prioribus. Quae cum ita sint, verosimile est, causam, ob quam CELSUS MUSAM non laudaverit, a SCHULZIO positam esse in aetatis aequalitate, quae CELSO cum MUSA interecesserit. TARGA denique aliam quandam eamque duplicis generis rationem subjecit CELSO MUSAE laudes non consequuto; quippe quam etiam vero propiorem habuit causa a BIANCONIO proposita satisque idoneam, qua hujus judicium de CELSI aetate confutaret. Quam suam rationem criticus ille ad suspicandum sagacissimus ex loco aliquo promsit, qui apud CELSUM ipsum, l. III. c. 9. p. 125 sq. ex edit. TARG., deprehenditur, ubi contraria medicina neque nova fuisse tum temporis, nec omnino probanda docetur. Itaque ANTONIUM MUSAM nec primum fuisse illius, quam in curando AUGUSTI morbo adhibuerit, contrariae medicinae auctorem, neque magnis laudibus efferendum de frequentiori ejus usu, inde conjicit

Digitized by Google

TARGA p. 15. atque concludit, eandem potissimum duplicem ob causam CORNELIUM CELSUM silentio praeteriisse ANTONIUM MUSAM, qui, quamvis AUGUSTO fuerit medicus et summis etiam honoribus adornatus, illi tamen non visus sit vere dignus, qui ASCLEPIADI, THEMISONI et reliquorum meritissimorum medicorum ordini adjungeretur.

Meum autem judicium quod attinet, equidem non infitior, subtilissimam sagacissimamque esse rationem illam, qua BIANCONIUS in suae causae usum attulerit silentium a CELSO de MUSA obtentum. Idemque ipsum, si recte conjicio, primam etiam occasionem dedit BIANCONIO, qua hanc suam de CELSI aetate opinionem a vulgata scilicet discrepantem offenderet. Attamen nequaquam necessarium esse mihi videtur, ut cum BIANCONIO ponamus, CELSUM propterea neque in historia sua medicinae neque in medicis ipsis nomen ac merita ANTONII MUSAE uspiam laude consequutum esse, quoniam artes suas composuerit prius quam hic summam AUGUSTO conservato adeptus sit gloriam laudum. Sed multo aliae mihi in promptu sunt, unde Celsianum illud silentium exortum sit, eaeque non solum causae meae faventes, sed probabiliores etiam omnibusque ex partibus convenientes rationes. Namque equidem contendo, omnino non respondisse ANTONII MUSAE mentionem consilio et fini, qui CELSO medica sua litteris tradenti propositus fuisse videatur. Triplex autem is consilii finis fuit. Primum enim CELSUS sibi proposuisse videtur idem fere illud FABII, parcere nomini-

Digitized by Google

bus viventium. Idque propositum tam ad historiam medicinae ab ipso explicitam, quam ad medicas pertinet institutiones. Alterum vero propositum, quod ad historiam modo referendum est praeceptis medicinae praemissam, in eo consistit, quod CELSUS non nisi clarissima medicinae lumina commemorare voluit atque proponere posteritati imagines virorum immortalitate dignissimorum. Sed tertio denique consilio CELSI convenit, historiam explicare medicinae Graecae; quapropter hujus maxime auctores in historia sua medicinae laudavit medicosque silentio praeteriit Romanos. ANTONIUS autem MUSA cum aequalis fuerit CELSO, huic institutiones medicas componenti neque in praefatione neque in libris de medicina ipsis convenit, illius uti mentione atque auctoritate. Neque vero, quod ad vera merita spectat, quamvis celebratissimus fuerit sui temporis medicus summisque floruerit honoribus, utique dignus visus est CELSO MUSA, qui ASCLEPIADI, THEMISONI et reliquis adjungeretur in praefatione medicinae principibus atque heroibus. Sed et Romanus fuit ANTONIUS MUSA; itaque hanc etiam ob causam a CELSO omissus est in medicina maxime versato Graeca. Longe diversa autem fuit PLINIO *Historiam* suam *Naturalem* conscribenti conditio vitae consiliique finis. Namque non solum multo posterior fuit ANTONIO MUSA ejusque aequalibus, verum etiam non alienum a proposito ejusdem fuisse videtur, et medicos afferre minus laude dignos et Romanos. Itaque factum est,

Digitized by Google

ut PLINIUS in sua medicinae historia, quamvis in ea concinnanda auctorem luce clarius sit ante oculos habuisse, unde rem suam hauriret, libros medicos CELSI eundemque maxime sequutum esse et imitatum, ANTONIUM illum MUSAM adpellaret ejusque nomen nomini adponeret THEMISONIS. Quas quidem rationes a me propositas jam paulo diligentius explicabo atque examinabo, exemplis illustrabo atque argumentis ut plurimum affirmabo, postquam verba ipsa huc pertinentia ex historia medicinae a CELSO et PLINIO exposita, quibus res ipsa facilius perspiceretur atque collatione instituta judicaretur, in medium attuli. Ita enim incipit CELSUS p. 1. suam historiam: *Haec* sc. Medicina *nusquam quidem non est. Siquidem etiam imperitissimae gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt. Verumtamen apud Graecos aliquanto magis, quam in caeteris nationibus, exculta est: ac ne apud hos quidem a prima origine, sed paucis ante nos seculis; utpote cum vetustissimus auctor Aesculapius celebretur* etc. Atque his verbis historica sua CELSUS p. 3 et 4. ex edit. KRAUS. finit: *Donec Aselepiades medendi rationem magna ex parte mutavit. Ex cujus successoribus Themison nuper ipse quoque quaedam in senectute deflexit. Et per hos quidem maxime viros salutaris ista nobis professio increvit.* Ex PLINII autem *Historia Naturali*, cujus videatur etiam Tom. II. l. XXVI., jam haec potissimum commemoranda laudavi verba, quae Tom. II. l. XXIX. c. 1. sect. 5. p. 494. deprehenduntur: *Deserta dein et haec secta est: quoniam*

Digitized by Google

necesse erat in ea litteras scire. Mutata et quam postea Asclepiades (ut retulimus) [sc. l. XXVI. c. 2 et 3. sect. 6 et 7. p. 391 et 392.] *invenerat. Auditor ejus Themison fuit, qui quae inter initia scripsit, illa mox recedente a vita, ad sua placita mutavit. Sed et illa Antonius Musa ejusdem auctoritate Divi Augusti, quem contraria medicina gravi periculo exemerat. Multos praetereo medicos, celeberrimosque ex iis Cassios, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios. Ducena quinquagena H-S. annua mercede iis fuere apud Principes. Q. vero Stertinius imputavit Principibus, quod H-S. quingenis annuis contentus esset, sexcena enim sibi quaestu urbis fuisse numeratis domibus ostendebat. Par et fratri ejus merces a Claudio Caesare infusa est: censusque, quanquam exhausti, operibus Neapoli exornata, heredi H-S. CCC. reliquere, quantum ad eam aetatem Arruntius solus. Exortus deinde est Vectius Valens, adulterio Messalinae Claudii Caesaris nobilitatus, pariterque eloquentiae assectator. Is eam potentiam nactus novam instituit sectam* etc.

Primum igitur Cornelius Celsus ex mea sententia sibi propositum habuit, ut non amplius quam ad sua usque tempora persequeretur medicinae historiam atque cum in eadem explicanda, tum in praeceptis medicis ipsis parceret nominibus viventium. Cui ut satisfaceret, non potuit, quin Antonium Musam, Augusti Imperatoris medicum, et in historia et in medicinae institutionibus utique omitteret, neque ejus nomen quantumlibet Romae celebratum, neque curationem Augusti felicissime

Digitized by Google

ab eo susceptam, nec remedium quoddam ab eo compositum conscriptumve denique librum commemoraret. Fuit enim Musa ille Celsi aequalis; et, licet fieri potuit, ut diem supremum jam obiisset, antequam Celsus in concinnandis medicinae praeceptis versaretur; adhuc tamen inter vivos fuit hoc tempore Augustus Imperator ipse, cui quidem ille medicinam fecerat. Itaque Augusti etiam ratio habenda erat Celso, qua proposito suo satisfaceret, ex quo parceret nominibus viventium. Ejusdemque nostri judicii participem etiam habemus, nisi errore nititur conjectura nostra paulo ante allata, Schulzium. Qui criticus hanc suam mentem cum distinctis verbis non explicuerit, ita tamen proposuit, ut conjectura eam adsequi possemus. Nos certe eam in nostram cogitationem induximus, ut viri cujusdam gravioris ad rem nostram adprobandam inde proficisceretur auctoritas. Atvero res ipsa etiam per se loquitur nec alia eget auctoritate. Etenim quotiescunque in artes Celsi medicas inquisivi, auctorem ea fuisse mente, qua viventibus parceret, magis magisque persuasus sum. Itaque, quoscunque medicos vel in praefatione vel in libris de medicina ipsis commemoratos reperiamus, sive sectarum fuerint duces, sive auctores rationum certarum medendi sententiarumque singularum, seu compositorum quorundam medicamentorum inventores, eos cognoscimus Celsum aetate antecessisse. Neque vero hic unquam ab animo suo impetrare potuit, ut ullius aequalis nomen vel laude efferret vel perstringeret vituperatione, quantuslibet nume-

Digitized by Google

rus esset medicorum et chirurgorum, quorum auctoritatibus uteretur, quamque diversa eorum aetas atque patria. Quam ob causam, quicunque Augusto imperante floruerint, ii potissimum sunt, quos reperimus a Celso sub eodem Imperatore artes suas scribente omissos. Qui autem Augusto Imperatore priores fuerunt vel aetatem ejus non nisi attigerunt, eorum scilicet maximam certe partem offendimus a Cornelio laudatam. Itaque praestantissimum Themisonem ipsum, quippe quem senem ad priores usque Augustei aevi annos vitam produxisse adprobare studuimus, commemoratum esse videmus cum in historia medicinae, tum in ejus institutis. Praeterea vero et in praefationibus et in libris ipsis mentionem esse habitam cognoscimus e. c. Cassii medici, et Tryphonis patris, et Evelpisti et Magetis denique chirurgorum; quippe quos omnes non solum aetate majores fuisse Celso, verum etiam eo ipso institutiones medicas concinnante jam vitam posuisse ex notione discimus vocis nuper, utpote additae illis laudatis nominibus. De quibus videre licet praefat. ad l. I. p. 4. ex edit. Krausi nec non p. 18. item l. III. c. 4. p. 119. et praefat. denique ad l. VII. p. 406. Ut autem equidem ipse jam alios omittam, quos sub Augusto viguisse aliunde discimus neque a Celso propter aetatis aequalitatem commemoratos videmus, cum sigillatim enumerare longius esset; duos potissimum licebit jam afferre medicos, qui caeteris celebriores et commemoratu digniores esse mihi videntur atque aptiores etiam, unde aliud quoddam capiamus ad

Digitized by Google

opinionem Bianconii refellendam argumentum exemplumque, quo nostram rem illustremus. Iique medici sunt Camelius et Marcus Artorius; quippe quorum uterque Octavio Augusto et medicinam fecit et familiaritate conjunctus fuit. Ille autem Camelius is est, qui secundum Plinium nimia religione adductus Augusto aegro negaverat lactucam, qua Imperatorem conservavit prudentia Musae. Sed Artorius Asclepiadis fuit, ut Caelius Aurelianus testatur, discipulus, idemque, qui, postquam Octavii vitam in proelio ad Philippos commisso prudentia sua consilioque servarat eamque ob causam summam nactus erat illius gratiam familiaritatemque, veluti a Suetonio et Plutarcho relatum est, post pugnam Actiacam naufragio periit. Quae cum ita sint, quaestionem offendimus, qui venerit, ut Celsus eorum ipsorum, quos Augusto fuisse diximus, medicorum neutrum sive vituperatione seu laude consequutus sit? Quod igitur ad Camelium attinet, cui Musa in Augusto curando prosperrime successit, Bianconium, qui ad quaestionem illam propositam responderet, jam accinctum video. Namque sub eandem fere rationem dicit, sub qua Musam videamus, cadere etiam Camelium, quippe cui ille successerit. Ante annum enim DCCXXXII, in quem Augusti curatio a Musa instituta incidit, Bianconius posuit, concinnatae esse Celsi medica. Quid autem, nos, Bianconio opponimus, quod Celsus etiam alterum illorum, medicorum eumque multo priorem, Artorium, neque in historia sua neque in praeceptis medicinae ipsis

unquam laudaverit? Fuit enim hic Antonius non solum celeberrimus medicus amicissimusque Octavio, quippe qui vitae conservationem prudentiae illius consilioque deberet; sed decessit etiam ipse a vita jam anno U. DCCXXII. Ergo quaeritur, utrum ante illud quoque proelium ad Philippos commissum Bianconius statuere velit compositionem librorum medicorum Celsi sibique persuadere, eundem auctorem nihilominus usque ad exitum propemodum Augustei imperii produxisse vitam? An putet Bianconius, Celsum oblivionem cepisse Antonii? Atvero mihi neque hoc neque illud verosimile esse videtur. Namque accurationem se praestitit Celsus, quam ut medici alicujus praestantissimi laudeque dignissimi oblivione capi potuisset. Illudque de medicina monumentum ex omnium consensu ad orationem expolitius, ad judicium maturius uberiusque ad doctrinam rerumque usum est, quam ut aestimari queat a juvene aliquo atque ab orationis elegantia, judicii auctoritate atque experientiae copia utique alieno homine confectum. Quo accedit, quod Bianconius sibi ipse dissentiret, si illud tempus tribuisset Celsianorum medicorum concinnationi. Distinctis enim verbis hanc saepius in annis posuit Augustei imperii prioribus. Extitit autem Augustus Imperator non prius quam anno U. DCCXXVII. Ergo inter hunc ipsum annum atque eum, quo Antonii curatio prospere succesit, sequitur, ut compositio illorum librorum ex Bianconii sententia interfuerit. Atqui a nostro judicio de Celsi medicorum auctoris aetate in me-

Digitized by Google

dium allato hujus ipsius silentium de Camelio Artorioque obtentum aeque atque illud de Antonio Musa nequaquam dissentit, si id quidem verum est, quod proposuimus, Cornelium Celsum nominibus pepercisse viventium. Etenim etiamsi Artorius, Camelius et Musa tum, cum Celsus medica sua conscribebat, jam exstincti erant, superstes tamen fuit Augustus ipse, cui isti medicinam fecerant. Sed istorum tamen medicorum Celsus haud facile meminisse potuerit, nisi nomen quoque memoriamque Imperatoris attigisset. Cui quidem ut pareeret, cum insuper tum temporis senectus Principi haud exoptata arriperet, Artorium, Camelium Antoniumque silentio utique transiit.

Verumtamen non solum in praetermittendis nominibus auctorum atque Divi Augusti, illum consilii finem Celsus sibi fuisse ostendit, sed aliis etiam viventibus pepercit personis. Itaque ubicunque rem aliquam ipsius tempore gestam, sive viderit eam, sive audierit, vel exempli vel adprobationis causa auctor attulit, nusquam profecto a se impetravit, ut hominum, qui rei ipsi interfuissent, nomina traderet posteritati. Qua quidem de re unum modo, ut cum bona venia audiar, eumque admodum tritum jam proferam locum, praefat. ad l. I. p. 13., ubi haec: *Cum aetate nostra quaedam, ex naturalibus partibus carne prolapsa et arenta, inter paucas horas exspiraverit, sic ut nobilissimi medici neque genus mali, neque remedium invenerint. Quos ego nihil tentasse judico, quia nemo in splendida persona periclitari conjectura*

Digitized by Google

sua voluerit. Nec denique Cornelio Celso soli ex veteribus scriptoribus id, quod explicuimus et comprobare studuimus, propositum fuit proprium, sed commune etiam omnibus fere auctoribus. Itaque exempli gratia iidem jam in promptu sunt, unde locos aliquot quaestioni de Celsi aetate utiliores in capitibus superioribus sumsimus, libri ad artes oratorias spectantes. Namque M. Tullium auctoritate maxime usum esse vidimus L. Crassi et M. Antonii, qua id, quod ipse de Oratore sentiret ac judicaret, liberius humaniusque posset explicare atque exemplis comprobare. Ac M. Fabium exprimere audimus eundem, quem Institutionibus Oratoriis proposuerit, finem his, quibus haud scio an quid menti Cornelii Celsi melius conveniat ejusque divina virtute et singulari in suos pietate dignius sit, verbis: *Sunt et hodie clari ejusdem operis auctores; qui si omnia complexi forent, consuluissent labori meo: sed parco nominibus viventium; veniet eorum laudi suum tempus: ad posteros etium virtus durabit, non perveniet invidia.*

Quodsi ad Plinium regredimur, ejusque historiam medicarum rerum accuratiori subjicimus contemplationi atque collationi; illum utique patet ante oculos habuisse Celsum, quod ad res enarrandas attineret, neque verò ejusdem consilium finemque esse consequutum atque imitatum. Namque cum Plinius multo posterior fuerit Celso, alios etiam multos medicos necessarium erat ut suam historiam componens offenderet, posteriores scilicet Hippocrate, Asclepiade et Themisone, eamque ob cau-

Digitized by Google

sum huic virorum ordini adjungendos. Quorum proximus princepsque occurrit ANTONIUS MUSA, quem CASSII, CALPETANI, ARRUNTII, ALBUTII, RUBRII, aliique sequuntur.

Sed tamen uti amabili quadam in viventes pietate CELSUM ductum esse disputavimus in componendo toto medicinae opere; sic in ea parte tractanda, quae brevem continet rerum medicarum historiam, apud animum statuisse videtur, eorum potissimum, qui judicii auctoritate, praeceptorum ubertate magnitudineque meritorum caeteris praestiterint, mediocrium posteritati quasi proponere imagines ac nomina tradere immortalitati. Quem quidem alterum consilii finem non solum re vera demonstravit, sed his quoque expressit distinctis verbis: *Et per hos quidem maximè viros salutaris ista nobis professio increvit.* Ergo non ii omnes, qui curatione aliqua praeclare instituta vel insigni innotuerant inventione, digni judicati sunt a CORNELIO nostro, qui in brevi ipsius historia locum haberent, sed celebratissimi modo artis salutaris heroes, qui singulare aliquod idque verum ac perenne professioni suae attulerant adjumentum. Ac variarum potissimum disciplinarum auctores longe clarissimos ducesque huc retulisse videtur CELSUS. Nam uti HIPPOCRATES COUS, qui DEMOCRITI discipulus et primus quidem ex omnibus memoria dignis ab studio sapientiae disciplinam medicam separaverat, omnis medicinae parens celebratur; ita reliqui quoque, qui hunc sequuntur, in diversas curandi vias processisse dicuntur. Atque

Digitized by Google

inprimis ASCLEPIADEM quoque ac THEMISONEM, quippe qui ultimum tenent in immortali illo heroum ordine locum, novis quibusdam decretis medicinam mutasse scholasque sibi proprias instituisse, praeter CELSUM pluribus in locis testantur, si alio quo testimonio egemus, PLINIUS, CAELIUS AURELIANUS aliique, verbisque luculentis affirmat L. SENECA in Oper. Tom. II. *Epist.* XCV. p. 457. ex edit. c. not. varior. Amstelodami, anno 1672. ubi haec: *Alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis.* Quae cum ita sint, equidem non video, quo jure BIANCONIUS postulet, ut illis longe clarissimis medendi magistris admixtus reperiatur ANTONIUS quidam MUSA, qui ne ullius quidem novae sectae auctor a veteribus laudetur. Etenim quod PLINIUS in sua medicinae historia commemorat, dicens, ANTONIUM MUSAM ASCLEPIADIS (neque Themisoniana, velut SCHULZIUS ab HARDUINO discrepans judicat p. 300.) placita mutasse; id ad institutionem contrariae medicinae ejusque usum in curando Divi AUGUSTI morbo maxime referendum esse ex reliquis luculenter adparet, quae addita sunt, verbis. Quid autem, quod ne inventor quidem MUSA fuit illius contrariae sic dictae medicinae nec utique laudandus de frequentiori ejus usu visus est CORNELIO CELSO? Ad MUSAM enim, istum contrariae medicinae amantiorem gloriosumque AUGUSTI medicum quis est, qui neget illa maxime referenda esse justi quidem et veritatis studiosi, sed invitentes quoque pii CELSI verba, l. III. c. 9. p. 137 sq.: *Neque hercule ista cura*

Digitized by Google

tio nova est, quae nunc quidam tradit sibi aegros, qui sub cautioribus medicis trahebantur, interdum contrariis remediis sanant. Siquidem apud antiquos quoque ante Herophilum et Erasistratum, maximeque post Hippocratem fuit Petron quidam, qui febricitantem hominem, ubi acceperat, multis vestimentis operiebat, ut simul calorem ingentem, sitimque excitaret. Deinde, ubi paulum remitti coeperat febris, aquam frigidam potui dabat; ac, si moverat sudorem, explicuisse se aegrum judicabat: si non moverat, plus etiam aquae frigidae ingerebat et tum vomere cogebat..... Et intra haec omnis ejus medicina erat. Eaque non minus grata fuit his, quos Hippocratis successores non refecerant; quam nunc est his, quos Herophili vel Erasistrati aemuli diu tractos non expedierant. Neque ideo tamen non est temeraria ista medicina; quia plures, si protinus a principiis excepit, interemit. Sed, cum eadem omnibus convenire non possint, fere, quos ratio non restituit, temeritas adjuvat. Ideoque ejusmodi medici melius alienos aegros, quam suos, nutriunt. Sed est circumspecti quoque hominis, et novare interdum, et augere morbum, et febres accendere; quia curationem, ubi id, quod est, non recipit, potest recipere id, quod futurum est. Quodsi verum est, quod diximus neque negari potest, ad MUSAM maxime ejusque adseclas, qui AUGUSTO conservato medicoque admodum nobilitato certe non defuerunt, et caecos et prudentiores spectare illud, quod retulimus, contrariae medicinae quoad originem aeque ac dignitatem accuratius institutum ex-

Digitized by Google

men; nonne eo ipso sequitur, idque argumentum gravissimi profecto est momenti et luce clarius, ut curatio ista Divi Augusti juvenis vitio laborantis a Musa per contrariam medicinam suscepta longe antecesserit compositionem librorum medicorum Celsi? Quod si non ponimus, ego certe non intelligo, qui Celsus illa scilicet ratione disserendi de medicina contraria uti potuerit ejusque ad veram naturam originemque inquirendam adductus sit. Etenim a Plinio institutio frigidorum a balineis aperte tribuitur Musae fratrique Euphorbo. Nam Tom. II. l. XXV. c. 7. sect. 38. p. 371. haec leguntur: *Frater is* sc. Euphorbus *Musae, a quo Divum Augustum conservatum indicavimus. Iidem fratres instituêre a balineis frigida multa corpora adstringere. Antea non erat mos, nisi calida tantum lavari, sicut apud Homerum etiam invenimus.* Itaque Musa certe habitus est contrariae medicinae inventor. Celsus autem in illo loco sibi proposuisse videtur, hanc communem quidem, sed falsam opinionem revellere, veram contrariae curationis originem statuere ejusque usum definire et coërcere abusum. Sed ut viventium nominibus parceret, nec medicos nec aegros his traditos adpellavit. Eandemque ob causam, ut frigidorum abusum in hepatis morbis quam maxime impediret, alio in loco l. IV. c. 8. p. 214. praecepit: *Abstinendum utique est* sc. hepaticis *ab omnibus frigidis: neque enim res ulla jecur magis laedit.* Quodsi Antonius Musa neque inventor fuit contrariae medicinae neque omnino laudabilem probabilemque

Digitized by Google

ejus fecit usum, etiam propterea non dignus visus est Celso, ut probe monet Targa, qui Hippocrati, Asclepiadi, Themisoni, reliquisque hujus ordinis viris adnumeraretur. Etenim curatio ipsa Imperatoris a Musa confecta prosperum successum magis deorum numini ac bonitati naturae Augusteae, quam virtuti debuit, rationis medendi, quippe quam ancipitem Suetonius probe nominat, ac latius nobilitata est majestate Divae personae, quam artis singularitate. Neque enim aliud quid quam memorabile aut inventum esse ab Antonio Musa aut excogitatum gestumque unquam audimus. Nec librorum quidem compositorum eidem tantae est, quantam Celsiani illi heroes nacti sunt, laus auctoritasque. Asclepiadem enim, ut in iis subsistamus, qui Musam proxime antecesserint, Celsus l. IV. c. 4. p. 200. *multarum rerum, quas ipse quoque sequutus sit*, adpellat *bonum auctorem* commemoratque l. I. c. 3. p. 29. ejusdem *volumen de tuenda sanitate*. Sed Plinius quoque Tom. II. l. XXIII. c. 1. sect. 19. p. 309 sq. *unius voluminis de dando vino ab Asclepiade conditi* meminit, et l. XXV. c. 1. sect. 3. p. 339. *Asclepiadis medendi arte clari volumina ad Mithridatem composita* laudat. Quibus libris ab Asclepiade compositis multos alios addit Caelius Aurelianus, quos singulatim enumerare jam longius inutiliusque esset. Sed Themison quoque, veluti *summus auctor* salutatur a Plinio, Tom. I. l. XIV. c. 18. sect. 21. p. 724., sic plurium scriptorum auctor laudatur ab eodem Plinio et praesertim a Caelio Aureliano. Attamen Antonio Musae,

Digitized by Google

quippe qui neque in eorum auctorum numero deprehenditur, unde Naturalis Historiae materiam Plinius hausit, nec uspiam a Caelio Aureliano auctoritatis causa citatur, nil nisi *libri de tuenda sanitate ad Maecenatem* et *de herba betonica* iique vel perperam etiam tribuuntur. Quid ergo amplius miramur, quod Musa iste, qui quidem neque dux sectae cujusdam neque compositionis alicujus remedii inventor nec librorum denique auctor fide dignus floruit, sed ad summum rara quadam animi audacia praeditus se victorem praestitit et morbi ancipitis Augusti et Cambisi, prioris medicis, nimiae religionis, quid ergo, inquam, amplius miramur, quod iste Musa a severo censu exclusus reperitur, quem luminum medicinae longe clarissimorum, Cornelius Celsus habuit? Ac nonne eadem sors cecidit Cassio, quem Celsus, quamvis *ingeniosissimum sui seculi* celebraverit *medicum*, praefat. ad l. I. p. 18., et *colicos inventorem* laudaverit, l. IV. c. 14. p. 223. et l. V. c. 25. p. 281., non dignum tamen censuit, qui in Hippocratis, Asclepiadis, Themisonis et caeterorum summorum medicorum ordinem reciperetur, sed tanquam aliquem huic honori propiorem paulo post in praefatione certe dignatus est atque extulit? At enim Cassius auctoritate et inventione caruit certae cujusdam propriaeque disciplinae; Celsus autem nomina eorum virorum immortalitati commendare sibi proposuit, per quos maxime salutaris professio Romanis increverit.

Quodsi ad Plinium respicimus, eum etiam ab

Digitized by Google

hoc altero Celsi proposito multum decessisse videmus. Etenim quanquam celeberrimos utique laude prosequutus est, nequaquam tamen eos solos medicos extulit, qui disciplinarum duces exstiterant. Quam ob causam non dubitavit, quin principibus professionis salutaris immisceret etiam Antonium Musam, Caesios aliosque. Quid autem, quod hic scriptor historicus non erubuit, etiam plurium medicorum censere censum favoremque metiri, in quem venerint, Messalinarum? Qui quidem judicii finis modusque rebus a Plinio adhibitus satis in promptu est et perspicuum quam longe diversus sit a proposito illo Cornelii Celsi!

Sed tertio etiam Graecam potissimum medicinam Celsus statuisse videtur explicando proponere. Quod ejus consilium non solum ex prooemio historiae ipsius colligimus, ubi haec: *Verumtamen apud Graecos aliquanto magis, quam in caeteris nationibus, exculta est*, sc. Medicina: *ac ne apud hos quidem a prima origine, sed paucis ante nos seculis; utpote cum vetustissimus auctor Aesculapius celebretur.* Sed etiam quicunque hunc vetustissimum auctorem sequuntur usque ad Themisonem a Celso propositi medici, Graecae sunt originis. Itaque optimo jure auctor quasi subscripsit huic statuarum aere perenniorum collationi: *Per hos quidem maxime viros salutaris ista nobis* sc. Romanis *professio increvit.* Ergo Antonius Musa cum Romanus fuerit sive ortus sive in familiam receptus; etiam hanc ob tertiam causam non potuit, etiamsi dignissimum se

Digitized by Google

praebuisset neque pietas erga viventes obstitisset, a Celso sibi constante adnumerari seriei illorum virorum Graecorum. Ideoque in errore versari mihi videtur Bianconius nominans historiam illam Celsi *et Graecae et Romanae medicinae contextum* salutansque Musam nomine *felicis Graeci*, *Epit. Lat.* p. 42. et *Epist. ad Tiraboschi.* IV. p. 36. Namque Antonium Musam, licet origo ejus ac patria a veteribus scriptoribus in medio relicta sit, tamen nominis ipsius ingenio docemur fuisse Romanum. Sed et in historia sua non niai auctores Celsus Romanis proposuit longe clarissimos medicinae Graecae. Etenim quanquam Romae medicinam fecerant Asclepiades ac Themison; ipsi tamen non Romani ortu fuerant, sed Graeci, id quod bene distinguendum est, Romamque venerant artium suarum exercendarum causa. Nam etiam Plinii adhuc temporibus medicinam maxime fuisse in Graeculorum manibus, ex illo discimus, ubi Historiae Naturalis auctor conqueritur, Tom. II. l. XXIX. c. 1. sect. 8. p. 496. *Solam hanc artium Graecarum* sc. medicinam *nondum exercet Romana gravitas in tanto fructu: paucissimi Quiritium attigere, et ipsi statim ad Graecos transfugae: immo vero auctoritas aliter quam Graece eam tractantibus, etiam apud imperitos expertesque linguae, non est.* Sed similem aliquem in errorem jam ante Bianconium incidit Clericus, objiciens scilicet errorem Plinio. Qui auctor *Hist. Natur.* Tom. II. l. XXV. c. 2. sect. 3. p. 359. refert: *Ante C. Valgium scientiam medicam condidisse solum apud Romanos Pompejum Lenaeum,*

Digitized by Google

Magni libertum: quo primum tempore hanc, addit, *ad nostros pervenisse animo adverto.* Quae quidem referenti PLINIO CLERICUS p. 391 et 392. objicit, non POMPEJUM LENAEUM, sed ARCHAGATHUM fuisse primum, qui salutarem artem Romam induxerit. Atqui de Romana medicina loquitur PLINIUS, nec de Graeca. ARCHAGATHUS autem Graecus ortu, quanquam Romae exercuit artem medendi, non condidit tamen, id quod ASCLEPIADES etiam et THEMISON non fecerunt, medicinam Romanam. Quemadmodum ergo omnes fere artes litteraeque ex Graecia Romam translatae sunt atque Athenae potissimum tanquam academiae nobilissimis discendique cupidissimis Romanis, quo se conferrent ad perficienda humanitatis studia, patuerunt; ita quoque CORNELIUS CELSUS, VIRGILII, HORATII, aliorumque illorum ingeniosissimorum Graeciae imitatorum familiaris aemulusque, historiam explicare sibi proposuit Graecae medicinae ejusque ingenio quam maxime imbuere animos Romanorum. Quae cum ita sint, veluti HIPPOCRATES Cous cum Graecae tum omnis medicinae celebratur parens, ita CORNELIUS CELSUS haud scio an non dignissimus sit, qui verus salutetur conditor medicinae Romanae LATINUSque HIPPOCRATES.

Est autem haec, quam exposuimus, tertia ratio, qua CELSUS adductus esse mihi videtur, ut ANTONIUM MUSAM aeque atque CASSIUM, utpote Romanos medicos, non adjungeret HIPPOCRATI ejusque posteris non indignis. PLINIUM vero et de hac re dissensisse a proposito CELSI adparet, cum non solum

Digitized by Google

Musam Cassiumque, sed alios etiam multos laudando persequutus est, ut Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios et Vectium denique Valentem, medicos Romanos. At vero longissime diversus omnino fuit Plinio, quam Celso, scribendi finis. Illi enim universam naturam propositam habuit, quam investigando, observando atque explicando complecteretur, hic vero non nisi singulam persequutus est illius disciplinam, scilicet medicam. Quid ergo miramur, siquidem diversus quoad propositum alter ab altero diversam etiam iniit, qua suum ipsius finem consequeretur, viam? Bianconius autem id propositum ipsum, quod Celso, artes medicas componenti fuit, cum tempore male commiscuit compositionis earundem artium ideoque ad falsam adductus est, qua sententiam suam de Celsi aetate allatam, ingeniosam scilicet illam novamque, probaret, conclusionem. Quae cum ita sint, non opus esse censeo, praeter tres eas, quas non probabiles solum, sed veri etiam simillimas esse intelleximus, rationes quartam aliquam proferre, qua Celsus commotus sit, ut Musam et in historia sua medicinae et in libris de medicina ipsis omitteret. Quanquam illud argumentum, quod Bianconius ipse in *Epist. ad Tiraboschi.* V. p. 32 sqq. et *Epist. Lat.* p. 43 sq. attigit, ut tanquam aliquod causae ipsius detrimentosum refelleret, utique non ineptum et inane est. Refert enim Cassius Dio l. c., *Marcellum*, sororis filium et generum Augusti, *eadem refrigerante medendi ratione a Musa adhibita, qua quidem paulo ante Augustus*

Digitized by Google

Imperator conservatus esset, occubuisse. Quae quidem res si veritate nititur, utique tanti momenti fuit, ut vel propter eam solam CELSUS silentio transiret MUSAM, ne dedecus ejus posteritati traderet atque dolores AUGUSTI ex acerbo fato carissimi MARCELLI captos revocaret. Sed cum veteres scriptores de mortis genere atque occasione, qua dies supremus MARCELLO oblatus sit, inter se dissentiant; hunc controversiae locum in aliud tempus distuli, quo de contraria medicina pauca disserere statui, ne longior jam essem atque impedirer, ad quartum caput hujus quaestiunculae idque ultimum nunc ipsum progredi.

CAPUT IV.

Ad eundem autem *Rei Rusticae* scriptorem, cujus auctoritate jam in exordio hujus dissertationis usi sumus, jam ab excursionibus nostris revertamur tanquam refugium et munimentum etiam causae nostrae, ut, sive victores decesserimus, seu victi, indutias tum faciamus ac per tempus aliquod a certaminibus desistamus. COLUMELLA enim, sicuti vidimus, pluribus in locis CORNELIUM CELSUM salutat suorum temporum auctorem. Quod quidem COLUMELLAE salutandi genus plures etiam eorum criticorum, qui in CELSI aetatem accuratius inquisiverunt, diligentius sunt persequuti. E quibus enumerandi sunt inprimis CLERICUS p. 517., BIANCONIUS *Epist. ad Tirabosch.* VI. p. 63 sqq. et *Epit.*

Digitized by Google

Lat. p. 44 sq. et TARGA denique in praefat. ad CELS. p. 20. Caeteri vero, qui de CELSI vita copiosius disseruerunt, vehementer miror, quod illos COLUMELLAE locos non ita tractarunt, unde argumentum caperent ad aetatem CELSI statuendam. Qui quidem docti viri iis tum potius usi sunt, ubi de praenomine CORNELII CELSI, de operibus ejus et pretio, quod iisdem tribuendum sit, disputant. Quod fecisse videmus RHODIUM in *vit. Cels.* ex edit. KRAUS. p. 24., SCHULZIUM in l. II. c. 13. sect. 595. p. 301 sq., MORGAGNIUM in *Epist. ad Vulp.* I et IV., FABRICIUM in *Biblioth. Lat.* Tom. II. l. II. c. 4. p. 37. et SPRENGELIUM in Part. II. sect. 5. c. 1. §. 4. p. 10. Sed cum de praenomine CELSI, ejusque scriptis ac pretio iis tribuendo judicium meum afferre alio tempore mihi propositum sit; quae huc pertinent sententiae, eas jam omitto atque subsisto in locis illis COLUMELLAE, quatenus lucem aliquam haud mediocrem nobis praebent de CELSI aetate quaerentibus. Tres autem potissimum sunt, veluti jam docuimus, qui nostra intersunt, loci; quorum alter reperitur in l. I. c. 1. §. 14. p. 394. ex edit. GESNERI, ubi haec: *Non minorem tamen laudem meruerunt nostrorum temporum viri, Cornelius Celsus, et Julius Atticus: quippe Cornelius totum corpus disciplinae quinque libris complexus est.* Alter vero locus occurrit in l. III. c. 17. §. 4. p. 489., ubi legimus: *Mox Julius Atticus, et Cornelius Celsus aetatis nostrae celeberrimi auctores* etc. Ac tertius deprehenditur in l. IV. c. 8. §. 1. p. 502., ubi haec: *Ut prodidit Celsus, et Atticus, quos in re rustica*

Digitized by Google

maxime nostra aetas probavit etc. Sed L. JUNIUM MODERATUM COLUMELLAM scripsisse audivimus, ut aetatem ejus in memoriam jam revocemus, id, unde locos nostros hausimus, opus *de Re Rustica* copiose atque eleganter confectum sub CLAUDIO Caesare, cujus libertus fuit, circiter annum U. DCCC. De quo quaeratur FABRICII *Biblioth. Lat.* Tom. II. l. II. c. 7. p. 71 sqq.

Usi itaque jam sumus hac COLUMELLAE auctoritate, quam istis opponeremus, qui CELSI aetatem proferendam esse putarunt usque ad tempora TRAJANI Imperatoris. Unum autem re vera esse eundemque COLUMELLAE CORNELIUM CELSUM nostrumque, medicorum scilicet librorum auctorem, omni dubio superius est et positum ab omnibus quoque, penes quos judicii auctoritas est, criticis. Etenim praeter nominis aequalitatem duo alia habemus, in quibus nitamur, argumenta. Primum enim testatur QUINTILIANUS in eo, quem citavimus, loco, inter alias artes CORNELIUM CELSUM *amplius rei militaris et rusticae etiam et medicinae praecepta reliquisse.* Sed CELSUS ipse incipit etiam suos de medicina libros his verbis: *Ut alimenta sanis corporibus Agricultura, sic sanitatem aegris Medicina promittit.* Unde jure colligitur, opere *de Agricultura* confecto auctorem accinctum transiisse ad institutiones *Medicinae* componendas. Atvero quamvis suorum temporum auctorem COLUMELLA adpellet CELSUM, hunc tamen neque CLAUDII attigisse neque CALIGULAE etiam imperium jam supra demonstravimus et historicis rationibus adprobavimus.

Digitized by Google

Ad PLINIUM enim provocavimus, cujus insuper inter auctores, unde Historiae Naturalis materia hausta est, CELSUS reperitur. Refert enim scriptor ille, GRAECINUM, quem praecepta *de vineis* reliquisse novimus, alioqui CORNELIUM CELSUM transscripsisse. A COLUMELLA vero idem JULIUS GRAECINUS velut discipulus adpellatur JULII ATTICI, quem CELSI aequalem fuisse scimus. Ergo cum JULIUS GRAECINUS, transscriptor ille CORNELII CELSI discipulusque JULII ATTICI, a CALIGULA Caesare occisus ipse esse desierit ad minimum ante annum U. DCCXCIV., quo Caesar iste occubuit; non sine summa similitudine veri concludimus, circiter extremos AUGUSTI Imperatoris vel primos TIBERII annos CELSUM litteris tradidisse sua et rustica et medica. Atque talem virum utique laudare potuit COLUMELLA auctorum temporum auctorem.

Nequaquam autem id COLUMELLAE testimonium ad sententiam BIANCONII quadrat de CELSI aetate propositam. Eum enim, quem LXX. annis priorem nobismet ipsis scimus, vix aut ne vix quidem adnumerare solemus auctoribus nostrae aetatis. Qua quidem re vexatus, duplici ratione sibi suaeque causae consulere voluit BIANCONIUS. Primum enim utique esse dicit, quod inter contemporaneos et coaetaneos differat. Namque inter illos majus temporis intervallum interesse queat, quam inter coaetaneos. Contemporaneos autem CELSUM et COLUMELLAM potius fuisse, ex primo eorum, quos attulimus, locorum colligendum esse

Digitized by Google

putat, ubi COLUMELLA *temporum nostrorum*, ait, *viri, Cornelius Celsus et Julius Atticus.* At id vero BIANCONII quam inane sit parumque aptum, quo rem suam adjuvet, in promptu est. Etenim non solum temporum suorum COLUMELLA salutat CELSUM, verum etiam suae aetatis auctorem; illoque salutationis genere siquidem semel modo, hoc bis utitur. Altera vero BIANCONII, qua sibi consulat, haec est ratio. Scribere enim medica CELSUM facit tum, cum juventute floruit, atque eam quidem aetatem ad priores refert imperii Augustei annos. Vitam autem ipsam CELSUM produxisse putat usque ad posteriores ejusdem aevi annos. Quodsi ponatur, aetate jam provectiorem COLUMELLAM rustica sua composuisse; fieri potuisse, ut COLUMELLAE juventus senectusque CORNELII CELSI in unum idemque tempus incideret, concludit BIANCONIUS atque contendit, COLUMELLAM tum summum habuisse jus, quo CELSUM laudaret suorum temporum auctorem. Idque quo probabilius faciat, exemplo aliquo illustrare atque stabilire non dubitat ex *dialogo de causis corruptae eloquentiae* prompto, ubi audimus, *Vespasianum congiarium dedisse senibus, qui se a divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrarent.* Ergo quo jure ii senes, si voluissent, AUGUSTUM salutare potuissent suorum temporum Caesarem; eodem COLUMELLA usus sit adpellans CELSUM suorum temporum auctorem.

Ego autem BIANCONIO haec proferenti et QUINTILIANI et sanae mentis oppono auctoritatem. Etenim quod ad compositionem librorum medicorum attinet, quam juvenili CELSI aetati BIANCONIUS largitur; ad superiora jam delego, ubi copiosius diligentiusque demonstrasse mihi videor, medica CELSI non juventutis, sed maturioris ae-

tatis esse opus, idque meum judicium QUINTILIANI testimonio affirmavi. Ad exemplum autem quod spectat illud, quod quidem BIANCONIUS illustrandi et comprobandi causa attulit; male se habere equidem respondeo rem aliquam in argumentis exemplisque positam, quae vel contraria sint rerum ordini vel inusitata saltem. Veritatis enim ea natura est, quae facile se per se ipsam defendat, atque adsumtio, quae veritatem ... ntinct, nihil indiget talis, qualis ista BIANCONII est, illustrationis et adprobationis. Sed sub eandem fere rationem eae cadunt artes, quibus BIANCONIUS SCRIBONII LARGI auctoritatem in sententiam suam conferens utitur. Namque hic *libri Compositionum Medicarum* auctor c. 28. compos. 120. p. 73. ex. edit. Jo. MICHAEL. BERNHOLD, Argentorati anno 1786. narrat: *se Cassii medici colicem bonam, multis notam propter effectus, veram ab ejus servo Atimeto accepisse, legato Tiberii Caesaris, qui eam domino suo solitus fuerit componere.* Vixit autem SCRIBONIUS LARGUS DESIGNATIANUS sub CLAUDIO Imperatore, cui medicinam fecit, et COLUMELLAE fuit aequalis. Atque CASSIUS ille, cujus meminit, idem est, quem CELSUS in praefat. ad l. I. p. 18. *ingeniosissimum seculi sui medicum, quem nuper viderit*, et in l. IV. c. 14. p. 223. item in l. V. c. 25. p. 281. *colicae inventorem* celebrat. Quodsi cum BIANCONIO aetatem medicorum librorum CELSI ante annum U. DCCXXXII. rejicimus; difficile profecto est intellectu, quomodo SCRIBONIUS novisse et videre potuerit ATIMETUM, CASSII illius CELSO prioris servum. Namque etiamsi longam tribuamus ATIMETO vitam atque ponamus, eum aetate jam progressum juveni SCRIBONIO tradidisse CASSII domini colicem; non omnis tamen tollitur rei difficultas. Alio igitur BIANCONIUS utitur atque prioris illius

Digitized by Google

simili quodam exemplo, quo rei difficultatem utique vincat, ex eodem scilicet dialogo de causis corruptae eloquentiae prompto. Sed hocce exemplum cum aerumna aeque exquisitum et extortum fere, quam illud, mihi certe etiam non magis idoneum esse videtur, quo veritas animique veritatis studiosi concilientur. Ergo mittamus argutias istas artesque illiberales, et veritatis amantiores, quam opinionis et novitatis nos praebeamus! Optime vero illa et SCRIBONII LARGI et COLUMELLAE auctoritas convenit sententiae de aetate librorum medicorum CELSI a nobis propositae. Etenim non medicinae solum, verum etiam rusticae rei praecepta a CELSO relicta ad posteriores aevi Augustei annos retulimus. Nam postquam CELSUS omnes fere litterarum disciplinas summo studio agitaverat atque excoluerat, necessarias scilicet illas animo, sed corpori, ut ipse conqueritur, inimicas; non potuit, quin corporibus etiam Suorum quam plurimum consuleret. Igitur antequam vitam posuit, instituit, qua quidem ratione alimenta quam uberrime nascerentur sanis corporibus et aegris quam celerrime et tutissime sanitas reduceretur. Atque in his quidem rei rusticae et medicinae praeceptis confectis quasi in rebus optime gestis CORNELIUS CELSUS adquievit. Hunc autem universae naturae prudentem virum COLUMELLA summo jure laudavit suorum temporum aetatisve suae auctorem.

Quodsi nobis contigit, ut in utramque partem disputando ad veritatem propius accederemus; id scilicet huc usque consequuti sumus, ut videremus CORNELIUM CELSUM prioribus Augustei imperii annis rhetorica quidem sua composuisse, sed circiter exitum ejusdem, quod aureum dicere solemus, aevi auctorem exstitisse et rusticorum et medicorum. Quae cum ita sint, ratione probabili non ca-

Digitized by Google

ruimus, qua ad finem seculi DCC. vel ad sequentis seculi principium natum ejus referremus. Neque vero rationes nobis defuerunt, quibus ad diem supremum proxime ante decessum AUGUSTI Imperatoris ponendum adduceremus: quas explicare alio tempore nobis propositum est. Sed AUGUSTI ipsius decessum incidisse constat in annum U. DCCLXVII. Natus enim CAJUS OCTAVIUS ab ATIA, filia sororis JULII CAESARIS, anno U. DCLXXXIX., et ejusdem JULII CAESARIS conjuratorum pugionibus in curia anno U. DCCX. interfecti testamento adoptatus adolescens XX. annorum, M. ANTONIO et M. LEPIDO aemulis illis, quibuscum per quatuordecim annos de principatu contenderat, tandem aliquando superatis circiter annum U. DCCXXVII. nomine AUGUSTI ornatus exstitit Imperator imperiumque per annos XL. obtinuit Romanum. Scripsit ergo CORNELIUS CELSUS circiter annum U. DCCLX. libros suos de arte salutari aureolos; brevissimo igitur tempore post CHRISTUM salutis humani generis servatorem natum. Ideoque uno eodemque fere tempore ortus est, floruit atque exstinctus est CELSUS cum Divo AUGUSTO, Divinus ipse medicorum Augustus.

Quam quidem ad sententiam nostram ut plurimum adprobandam et stabiliendam quae restant argumenta, gravia scilicet et idonea, unde etiam major nobis proficiscatur auctoritas; quo inter alia deliberatio potissimum pertinet pretii cum generi dicendi, tum rebus ipsis a CELSO de medicina praeceptis tribuendi: ea in sequentibus partibus quaestionis nostrae de CORNELII CELSI Vita institutae, propediem in lucem edendis, pro virili explicare est propositum.

Digitized by Google

THESES.

I.

Frequentiori usu Belladonnae tanquam remedii prophylactici in dominantibus febris scarlatinae epidemiis plus noxae, quam utilitatis, affertur.

II.

Magis febris ipsius, quam exanthematis natura respicienda est medico scarlatinam curanti.

III.

Excitanti medendi rationi potius, quam usui variolarum vaccinarum communi vehementia tribuenda est, quam nostris temporibus dominari videmus, febris scarlatinae perniciesque magna inde proficiscens.

IV.

Imprudenti atque praematuro Corticis Peruviani usui in curandis febribus intermittentibus multos debemus eosque pertinaces quidem et lethales etiam morbos viscerum abdominalium chronicos.

Digitized by Google

V.

Medicus sacerdos est naturae neque ejus dominus. Itaque observare fas est atque sequi naturam, eique qui opinatur se praeesse posse, summo versatur in errore.

VI.

Vesaniae sedes in praesenti semper quaerenda est corporis morbo, neque in mente ipsa. Causae autem, quibus vesania efficitur, aeque ad mentem possunt, atque ad corpus pertinere. Curatio ergo ea esse debet conditione, qua utraque humanae naturae pars, et corpus et animus respiciatur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Google